698

324

Oratio funebris:

DE VITA, ET MORTE ILLV-STRISSIMAE PRINCIPIS

AC DOMINÆ, D. ANNÆ MARIÆ, NATÆ ex Illuſtriſsimis Familijs BRANDENBVRGICA, ET MÜNSTERBERGICA; quondam Illuſtriſsimi & incomparabilis Principis Domini CHRISTOPHORI, Ducis Vvirtembergici, &c. beatiſs. mem. Coniugis laudatiſsimæ, Principis præclariſsimæ; anno ſalutis M. D. LXXXIX. die Maij 20. Nürtingæ, in Ducatu Vvirtemb. piè in Chriſto mortuæ:

HABITA TVBINGÆ,

IN TOTIVS ACADEMIAE frequentiſsimo conuentu, ab ERHARDO CELLIO, *ibidem Profeſſore Poëtico, & Hiſtorico.*

VITTORIO EMANUELE BIBLIOTECA ROMA

TVBINGÆ
Excudebat Georgius Gruppenbachius.
M. D. XCII.

18

ILLVSTRISSI-MO PRINCIPI, AC DOMINO, D. LVDOVICO, DVCI VVIRTEMBERGICO, & Teccio, Comiti Montiſpeligardi, &c. Domino ſuo longè clementiſsimo

SALVTEM ET OMNEM FELICITATEM.

INclyte Dux, patriæ Pater optatiſſime terræ,
Dulce decus Muſæ, præſidiumq́; meæ:
Cùm tua functa foret Genitrix chariſſima fato,
Dux generoſa, omni fœmina laude potens;
Conteſtando ſuum tunc noſtra Academia luctum,
Quam Duce cum patrio iure dolere decet;
Funebrem fieri voluit ſolenniter actum;
Inq́; obitum Matris publica verba tuæ.
Hoc in te meritò, Princeps LVDOVICE, *parentes*
Inq́; tuos pietas officioſa iubet.
Sed quoq; defunctæ iubet hoc clariſſima virtus
Principis, heroo carmine digna cani.
Illas de tanta dicendi Principe partes
Impoſuêre humeris publica iuſſa meis.
Atq; libens certè (dubium procul omne) ſubiui,
Funebris hic quicquid ſermo laboris habet.
Hoc & communis pietatis cauſa requirit:
Defunctæq́; ſuo iure requirit honor.
Et tibi facta reor, Dux Illuſtriſſime, Matri
Præſtita ſunt tali qua ratione tuæ.
Et tibi iure reor, Princeps mitiſſime, facta:
Cui mea pro meritis debeo cuncta ſuis.
Addo quod hoc factum, ſancto mandante Senatu;
Cui ſanctum ius eſt, imperiumq́; mei.

Nec tamen inficior, quadam me parte grauatum;
Materia ſenſus afficiente meos.
Triſtis, & inuitus, turbata mente, reuolui
Tot Vvirtemberga funera nata domo.
Hîc narrantur Auûm, Patris, Fratrum; hîcq́ Sororum,
Agnataq́ tua funera mœſta domus;
Hîcq́ propinquorum caſus, obitusq́ tuorum;
Matris & inprimis mors inopina tuæ.
Hæc ego præterito repetens è tempore, ſenſum
Mœſtitiæ potui non cohibere meæ.
Tum tamen inprimis animum vis intima mouit,
Cùm fuit in facie cauſa peracta Schola.
Quid de me? tibi ſum, PIE DVX, renouare coactus
Quæ refricant animo vulnera priſca tuo.
Heu quoties dolui res illuſtrare moleſtas,
Res animo triſtes, DVX LVDOVICE, tuo?
Obſcurare magis voluiſſem, & taliæ nocti
Tradere, quàm verbis reddere clara meis.
Res'ne graues quiſquam, morbos, obitusq́ libenter
Audiat in patria ſæpe fuiſſe domo?
Talia multa tuas venient, LVDOVICE, ſub aures,
Hæc mea cùm placido lumine ſcripta leges.
Sed fuit ad poſitam calcanda mihi orbita metam:
Ornanda ratio Principis illa tulit.
At quoq́ læta refert Oratio noſtra Tuorum
Plurima; quæq́ ſuis commemorata locis.
Lumina materni generis fulgentia latè
Hîc aliquot rebus, nominibusq́ vides.
Hîc vitam, hîc mores, hîc facta illuſtria Matris,
Coniugium hîc ſumma proſperitatis habes.
Hîc Patris, hîc tua ſunt facta intertexta; Sororum
Hîc thalamos, &, quæ tranſeo, plura leges.
Omnia ſunt veſtras hæc concelebrantia laudes;
Quas benè Tu Princeps, quas meruêre Tui.
Tu, precor, iſta æquo, Dux optime, ſuſcipe vultu;
Sunt pia, ſunt Matris iuſta ſuprema tuæ.

Propen-

Propenſum potes hinc ſtudiumq́; animumq́; videre;
Atq; voluntatem, Dux generoſe, meam.
Quæ potui, feci: non feci debita: quid non
Debeo miti animo, muneribusq́; tuis?
Nuper enim (tantùm memorabo recentius vnum,
Vix etenim longo carmine priſca queant)
Nuper vt annonæ grauitas nos ſumma premebat:
Et precij vinum, zeaq́; grandis erant:
Vel mihi ſpe vacuo tua munificentia, Princeps
Optime, largiflua donat vtrumq́; manu.
Quod Ludouicani fundamina fauſta Lycei
Ornaſſem votis, carminibusq́; meis.
Opportuna meis fuit iſthæc gratia rebus;
Hac erat exhauſtum nam mihi parte penus.
His tibi pro donis ſummiſſo pectore grates
Quaslibet in partes obſequioſus, ago.
Sic data dona tibi largè Deus iſta rependat,
Vt data grana ſolo multiplicare ſolet.
Sitq́; mea teſtis grata hæc Oratio mentis,
Et placeat ſtudium, ſi minus ipſa, precor.
Det Deus ex hoc nunc, quo ſcripſi hæc tempore; ſi quæ
Vis ſtudij, ſi vis ingenij vlla mei:
Non ea funeribus ſiet impendenda, vel vlli
Aduerſo ſtatui, triſtitiæq́; tuæ.
Rebus at optatis, votoq́; cadentibus omni,
Vtar ea in quauis proſperitate tua.
Sic vti ſucceſſus rerum, & ſors læta tuarum
Materiam ſcriptis præbeat vſq; meis.
Hoc vbi contigerit; validè quod ſpero, quod opto,
Quod prece clementem ſupplice poſco Deum;
Quod virtute tua, quod manſuetudine dignum;
Quodq́; fide dignum eſt, quod pietate tua;
Tum vigil aſſiduo nitar conamine, quantum
Mens feret; vt fiat, te quoq; teſte, palàm:
In me quantus amor tibi grata redundet agendi:
Et res ornandi quanta cupido tuas.

Viue ſed incolumis, ſalua cum Coniuge, Princeps
Inclyte, ſitq́; tui cura benigna Deo.
Corpore te ſanum, te ſanum pectore preſtet;
Annuat & cœptis dexter vbiq́; tuis.
Vt modò qui grandi turrita cacumina ſumtu
Collegi cernis ſurgere in aſtra tui:
Sic videas eadem doctas habitare Camœnas;
Multaq́; magnorum pignora clara virûm.
Sic Duce perpetuo te creſcet honore Tubinga;
Sic erit hæc multis anteferenda Scholis.
Sis Duce te creſcet multis Eccleſia ramis;
Publica Resq́; tua ſic benè creſcet ope.
Sic tibi creſcet honos, tibi laus vberrima creſcet:
O etiam generis ſpes tibi creſcat: AMEN.

Illuſtriſ. Tuæ Celſit.

Subiectiſ.

M. Erhardus Cellius.

MAGNIFICE DOMINE RECTOR, Barones Generoſi, Cancellarie digniſsime, Aſſeſſores Conſiſtorij Ducalis prudentiſsimi, Senatus ampliſsime, Viri Nobilitate generis, honoribus, dignitate, pietate, ſapientia, rerum vſu, grauitate, humanitate, adeoque omnium doctrinarum & virtutum ornamentis celebratiſsimi: Iuuenes & adoleſcentes ingenui, optimarumque artium ſtudijs addictiſsimi: Præclarum eſſe morem & inſtitutum antiquiſsimum, non modò priuatim domi, ſed etiam publicè lugendi honeſtorum & illuſtrium virorum obitum; hocque diligenter omni tempore, ab omni honeſta gente conſeruatum; ex hoc loco tum ex alijs audire, tum ipſum me dicere memini. Neque verò viros tantùm illuſtres, vita defunctos, antiquitas hoc modo, ſed mulieres etiam & genere & virtute ſumma præclaras ornauit. Spiritus certè quidem ſanctus, vt fœmineum genus Deum curare, diligere, eique non rarò præclara dona conferre, ac memoria quoque poſteritatis dignum oſtenderet; illuſtrium matronarum vitam, & facta in diuinis literis ſuo dictamine, & pollice ſcriptis, annotauit. Sic clariſsimæ fœminæ Saræ, quæ Abrahami Patriarchæ coniunx fuerat, obitum, & humationem honorificam; ſic etiam Propheti ſſæ Mariæ, quæ Moyſis, Iſraelitici populi Principis, Soror, ſepulturam celebrauit. Eundem Romanis, vt de alijs taceam, fuiſſe morem; Cæſaris factum declarat: qui ſuam vxorem ſeniorem etiam; & Scæuolæ, qui matrem Popiliam publica oratione ipſemet decorauit. Eandem conſuetudinem inde vſque longa ſeculorum ſerie ad noſtra, quaſi per manus eſſe deductam tempora; vel hodiernus dies, & hic cœtus frequentiſsimus conteſtatur. Etenim cùm Illuſtriſsimi Principis noſtri LVDOVICI, Ducis Vvirtembergici, &c. chariſsima mater, Illuſtriſsima Princeps, ANNA MARIA vitam hanc caducam & miſeram cum æterna illa & beata per mortem commutârit: ſummus Academiæ Magiſtratus inſtituto maiorum laudatiſsimo, cunctis ſuæ Iuriſdictionis ordinibus hunc tanquam publici luctus

conuentum indixit; & ea celebritate, quam videtis, agit: vt & defunctæ Principi iuſta ſua ſoluantur; honor, & oratio habeatur, vitæ diuinitùs datæ & exactæ rationes & obitus commemorentur; & debitæ pietatis, ſubiectionis, adeoque iuſtiſsimæ commiſerationis euidentius extet argumentum: cum Illuſtriſsimo ſuo clementiſsimoque Principe tanquam Patre patriæ benigniſsimo totam Academiam in communem quaſi luctum, & doloris ſocietatem veniſſe, ac dolenter verſari. Cùm Patriarcha Iacobus, pater Ioſephi, diem obijſſet ſuum; Aegyptus, inquit Scriptura, ſeptuaginta diebus eum fleuit. Ad ſepeliendum eum iuerunt cum eo omnes ſenes domus Pharaonis, cunctique maiores natu terræ Aegypti: currus & equites: & facta eſt turba non modica: & celebrârunt exequias planctu magno & vehementi. Cùm Aaron frater Moiſis eſſet mortuus, fleuit ſuper eo triginta diebus per omnes familias ſuas omnis Iſrael. At verò cùm ad ſepeliendam dilectiſsimam ſuam matrem defunctam Illuſtriſsimus Princeps noſter, tanquam alter Ioſephus, vnà cum Illuſtriſsima ſua Coniuge, & ampliſsimo nobiliſsimoque vtriusque ſexus comitatu profectus huc, eam honorificentiſsimo ritu maiorum ſuorum monumentis intulerit; ac manifeſtiſsima debiti luctus indicia cum toto ſuo comitatu ediderit: bone Deus, quæ nos ἀϛοργία, quæ impietas, & nefas damnaret; ſi non ſerio luctu congruisque ordini noſtro exequijs proſequeremur illam defunctam, quæ quondam incomparabilis omnium virtutum ornamentis Herois & Principis, Illuſtriſsimi Ducis CHRISTOPHORI, Patris patriæ ſuauiſsima Coniunx; quæ tot Illuſtriſsimorū Principum ac Ducum in Germania ſocrus optatiſsima: Quæ Illuſtriſsimū noſtrū Principem, Principem ter optimum, Patrem patriæ veriſsimum, ſub corde geſtaſſet, in lucem hanc edidiſſet, ſalutariter optimeque educaſſet, & tanti boni per eius Celſitatis immotam bonitatem, clementiam & manſuetudinem participes nos feciſſet? His de cauſis dum vos intueor, tacita quadam geſtus & habitus ſignificatione in luctu eſſe conſpicio; videoque vobis magno ac iuſto dolore commotis moleſtam eſſe & grauem ingentem hanc &

verè

verè luctuoſam Illuſtriſsimi noſtri Principis perturbationem: quæ tantò periculoſior eſt, animique robuſtiſsimi etiam vires magis concutit ac debilitat; quantò ſæpiùs iam viginti annorum ſpacio & ampliùs, non exiguo cum impetu recurrit; & ipſius Celſitudinis animum, tanquā arborem proceram, quantumuis validam, crebris funerum ictibus deijcere atque proſternere conata eſt. Hæc cùm ita ſe habeant, quàm duras in me receperim partes, qui ex hoc iam loco de tantis perſonis & rebus dicendi onus imponi mihi, paſſus ſum, non ſine perturbatione mecum perpendo. Cùm enim debeam clariſsimam Principem mortuam laudare, & luculentæ orationis ſuauitate mœrorem veſtrum, qui huc pietatis causâ conueniſtis, lenire; huius vtriuſq; rei ego magna laboro penuria; cùm vtrumque & tantæ Principis virtutes ac laudes verbis adæquare, & auribus veſtris, propter exquiſitam, qua valetis ipſi, eloquentiam, delicatiſsimis, eruditiſsimiſque ſatisfacere ſit difficile & arduum; præſertim ita mihi temporis anguſtijs impedito, vt vix tot horas hunc vitæ curſum habuerim contexendi, quot annos defuncta viuendi. Quare ne & inclyta Princeps defuncta debito laudum & virtutum ſuarum elogio, ac quaſi præclarè vitæ ſuæ tranſactæ fructu deſtituatur; & vos, eruditiſsimi viri, exſpectatione veſtra fruſtremini, vehementer formido. Tria tamen in hac mihi difficultate ſuccurrunt, opitulanturque. Primum perſonæ ornandæ dignitas eſt & præcellentia; quæ etiam, me tacente, per ſe ſatis illuſtris eſt & nota, neque magnòpere ſtudium atque operam meam, vt clariùs explanetur, requirit. Alterum eſt eorum, qui hoc mihi dicendi munus impoſuerunt, auctoritas magnifica, reuerenda, publica, omninoque ſancta; vt ei citra pietatis & officij neglectum nec potuerim, nec debuerim intempeſtiuè refragari, ſi de ingenij quoque nunc exiſtimatione periclitari cogar. Tertium totum in fauore beneuolentiaque veſtra poſitum eſt. Quòd ſi vllo tempore tum alios eloquentiſsimos viros, tum me quoque ex hoc loco trepidanter dicentem patientia veſtra ſubleuaſtis, & benigno aſpectu confirmaſtis; feciſtis autem hoc ſæpiſsimè: nunc etiam, vt in æquiſsima cauſa beni-

gnè faciatis, meque laudatiſsimæ Principis huius ortum, vitam, & mortem breuiter commemorantem beneuolè attenteque audiatis, & ipſius rei amplitudo, defunctæque ſplendor iure ſuo quodam requirit, & ego maiorem inſuper in modum enixeque peto.

Ne igitur diſcedam à vetere conſuetudine rationeque huius rei ordine perſequendæ, initium propoſiti mei à dignitate generis ſumam. Etſi enim ſuas habet metas, quæ ex nobilitate familiæ ducitur commendatio; neque perfecta laus in fumoſis maiorum imaginibus conſiſtit; neque virtus, quæ vna ſolidæ gloriæ fundamentum eſt firmiſsimum, hæreditatis aliquo iure relinquitur: fruſtrà enim maiores iactat ſuos, inquit Plutarchus, qui ab ipſorum virtute degenerat: tamen neſcio quomodo fiat, vt auguſtiora & amabiliora ſint, quæ ab hominibus ſummo loco natis, & quorum maiores multis meritis clari fuêre, ſuſcipiuntur & perficiuntur. Ac vt eum meritò deteſtamur, qui genere magnus, virtute nullus: qui maiorum decus ſuo dedecore turpificat: ita perſonas illuſtres, quæ auitam virtutem referunt, maiore quadam obſeruantia ſuſpicimus & veneramur. Orta eſt autem & nata Illuſtriſsima Princeps è duabus clariſsimis familijs & ſummi honoris pleniſsimis, BRANDENBVRGICA, ET MŨNSTERBERGICA: parentibusque eodem pacto ambobus ſua propriaque laude inſignibus, nimirùm Illuſtriſsimo Marchione Brandenburgenſi GEORGIO, & eius Coniuge HEDVVIGE, Illuſtriſsimi Ducis Münſterbergenſis CAROLI filia. Quid autem familia clarius Brandenburgica? quid illuſtrius? Siue enim quis antiquitatem, ſiue eorum, qui in hac excelluerunt, virtutem, & rerum præclarè geſtarum magnitudinem, ſiue gloriæ dignitatumque præeminentiam, ſiue affinitatum latè in Regum & Cæſarum etiam familias ſparſarum amplitudinem perpendat; talem eam eſſe deprehendet, quæ cum vetuſtiſsimo, Nobiliſsimo, clariſsimo, & glorioſiſsimo in Germania genere certare poſſe videatur. Qui ſtemmatis huius fontes & origines diligentiùs rimati ſunt, illud ad Nobiliſsimam & antiquiſsi-

quiſsimam Vvelforum proſapiam, & inde ad ipſos Troianos, tanquam primos huius conditores, referunt; eamque cum multis Principibus, Regibus, & Imperatoribus belligeraſſe teſtantur. Siue rem militarem ſpectemus, inquit Camerarius, ſiue alias laudes, grauitatem, inquam, magnitudinem animi, conſtantiam, addam etiam manſuetudinem & humanitatem, vix inuenientur, quorum tam excellens virtus fuerit, vt ſit cum Brandenburgenſi illuſtriſsima domo comparanda.

Vt enim nihil hîc afferam de primis illis gentis huius continua ſerie conditoribus & luminibus, de Comitibus Altorffianis, de Vvelfis, de Rauensburgi Dynaſtis, de Zolleranis, de Columnijs, ſiue Camillis Romanis, de Marchionibus Ferrariæ, de Ducibus Bauariæ, de Burggrauijs Norimbergenſibus, de Brandenburgicis Electoribus, de tota illa collaterali linea, in qua Regia quoque & Imperatoria conſpiciuntur ornamenta, resque geſtæ ſempiterna memoria celebrandæ: illum tamen ſilentio præterire non poſſum, qui primus Electoralem hanc ſtirpem ob iteratum matrimonium diuiſit, & prioris matrimonij filio IOHANNI ex MARGARETHA Badenſi Marchioniſſa nato, Electoralem dignitatem, & munus Archicamerarij Imperij: Poſterioris verò Coniugij filio FRIDERICO, ex ANNA Saxoniæ Duciſſa procreato, reliquam ditionum ſuarum ampliſsimarum partem reliquit. Fuit autem is ALBERTVS defunctæ noſtræ Principis proauus, tanta virtutum bellicarum ac rerum præclariſsimè geſtarum, victoriarumque partarum gloria; vt Germanicus Achilles nominari, & ab Hiſtoricis, præcipuè Aenea Syluio Pontifice, eius nominis Pio II. fusè celebrari, & omnibus Germaniæ Principibus anteponi, diuinisque planè laudibus ornari meruerit.

Sed neque defunctæ noſtræ Principis Pater GEORGIVS, Illuſtriſsimus Marchio Brandeburgicus tacendus eſt: Nam quantum ille nomen in armis, tantum hic pacis tempore Repub. piè ac ſalutariter adminiſtrata, & conſtantiſsima veræ fidei profeſsione ſibi apud omnem poſteritatem com-

parauit. Achilles ille Germanicus, hic verò Pius cognomento veriſsimo vterque fuit appellatus. In hoc ſiquidem maiorum ſuorum laudes egregiè ſuperauit, quòd primus is in ditionibus ſuis Euangelium, & veram de Deo doctrinam plantauit, & ardentiſsimo zelo defendit.

Cùm enim religioni ſancta Lutheri opera inſtauratæ nomen dediſſet, & Auguſtanæ Confeſsioni, CAROLO V. exhibitæ, cum ſocijs Principibus, & Ciuitatibus ſubſcripſiſſet; ac in eo conuentu agnati aliquot Principes, mandato Cæſaris, grauiſsimis eum minis adorirentur, terrerent, &, vt cum Eccleſia Romana in gratiam rediret, hortarentur, niſi Cæſaris indignationem & extrema quæque experiri mallet; nihil ab inſtituto dimotus, promulgata etiam acerbiſsima in Proteſtantes ſententia, Cæſarem inuictiſsimum adit, veterem ſuam & ipſius Maieſtati comprobatam antea voluntatem etiam in ſequens tempus defert, vnam tantùm excipit religionem: diſertè teſtatus, ſe propter hanc nulla pericula, ne capitis quidem, defugere; quòd è cœleſti ſanctione magis Deo, quàm hominibus obedire teneatur. Quæ, amabò, poteſt eſſe maior in ſummo etiam vitæ periculo conſtantia, ſi hæc non eſt? Hæc certè intrepidi adeoque inuicti animi magnitudo & Cæſarem deliniuit: & ad omnem temporum memoriam in Eccleſia Dei propaganda & conſeruanda eſt. Quam etiam inclyti & magnanimi huius herois generoſiſsimus filius Defunctæ noſtræ frater Illuſtriſsimus & ſereniſsimus Princeps GEORGIVS FRIDERICVS ita ſartam tectamque conſeruat; vt ad optimi & conſtantiſsimi Patris exemplum ſe componat, & Eccleſijs tam Boruſsiaci Ducatus, quàm Norici Burggrauiatus, Ducatusque Iägerndorffenſis in Sileſia, omnibus quàm optimè proſpiciat; nec vllo modo patriam religionem fanaticorum ſpirituum, modò graſſantium, erroribus peruerti patiatur.

Dominus Deus eius Celſitudini cum patria conſtantia vitam longæuam & ſaluam clementer largiatur. Quòd ſi iam

eiuſdem

eiuſdem noſtræ Principis è familia materna maiores Illuſtriſſimæ domus Münſterbergenſis conſiderare voluerimus, non minùs in hac excellentia virtutum, dignitatum, ac rerum ornamenta deprehendemus, eamque à regijs natalibus ortam eſſe conſpiciemus.

Pater equidem noſtræ Principis CAROLVS Dux Münſterbergenſis, & Olſenſis, Comes Glacenſis, Dominus à Cunſtad, & Polipräd, &c. quantus à conſilijs & à rerum gerendarum prudentia, dexteritateque fuerit; vel hoc eſt argumento, quòd totius Sileſiæ præſes, & Marchionatus in ſuperiore Lauſatia Gubernator à Cæſarea Maieſtate conſtitutus, eam prouinciam magna nominis exiſtimatione adminiſtrauit. Quanto verò puræ religionis arſerit zelo, hancque in ditione ſua propagauerit; ſatis euidenter Epiſtola Diuum ad Lutherum Anno 22. perſcripta teſtatur: in qua etiam grauiſsimè queritur, Auum ſuum GEORGIVM à Polipräd, Regem Bohemiæ, (à regni iſtius Proceribus ob Rempublicam æquitate & felicitate ſumma gubernatam, ex præſide Regem, poſt LADISLAI ſine liberis defuncti mortem, creatum) à Romano Pontifice diro anathematis fulmine in quartam vſque generationem cum bona parte bonorum omnium ademta, percuſſum; quòd agnitam veritatem conſtanter defendiſſet, & Chriſti Teſtamentum integrè ad ſupremum vſque ſpiritum conſeruaſſet, & vſurpaſſet. O raram illo tempore & plus quàm ſenilem, regiam prorſus, voce, literiſque poſterorum prædicandam, in Euangelij renaſcentis vix dum infantia, conſtantiam.

Sed & hoc relatu non indignum cenſeo, quòd in eadem hac familia Münſterbergica præſtantiſsima, maximeque pia & docta Princeps VRSVLA floruerit; quæ Monaſticæ vitæ, agnitis erroribus, pertæſa, licèt arctiſsimè Freyburgenſi Monaſterio concluſa teneretur; diuino tamen auxilio mirabiliter inde liberata; facti ſui rationem edito libello reddidit: quem D. Lutherus, maximo Principis huius elogio, eximia præfatione ornauit.

Sed quorſum hæc me generum abripuit amplitudo, qui delibare tantùm conſtitueram? Vt ea, quæ in his familijs morum occurrit, ſtudiorumque, præcipuè veræ religionis, & pietatis cum ardentiſsimo zelo coniunctæ haud inelegans harmonia euidentiùs paulò conſpiceretur; indeque Principem noſtram originem traxiſſe conſtaret; vbi & Politicæ gubernationis, & Eccleſiæ lumina inſigniter coruſcantia effulgerent; quæ naſcenti ſtatim Principi noſtræ maximum ornamentum conciliarent; & in auitæ virtutis, ac gloriæ poſſeſsionem ex ipſo matris vtero ſtatim inducerent; vt, ſi vel in ipſa partus hora fuiſſet extincta, nihilominus immortalem ex maiorum claritate honorem in ſepulchrum ſecum adſportaſſet.

Quod tamen clementer Deus auertens feliciter eam quidem voluit naſci; ſed eo tempore, anno Domini 1527. in ipſo Solſtitio æſtiuo; quo in Brandenburgica huius lineæ familia, maxima lætitia cum dolore maximo concurrit. Infantis enim noſtræ patruorum alter ALBERTVS Dux Boruſſiæ, pio admodum matrimonio DOROTHEAM, FRIDERICI Regis Daniæ filiam, ſuſcepta priùs Euangelij doctrina magna totius Brandenburgicæ domus gratulatione ſibi coniunxit. Quanquam vniuerſum hoc facto Teuthonicum ordinem, multis inde grauibusque, ſequentibus annis, incommoditatibus exortis in ſe concitauit. Alter verò patruorum CASIMIRVS, Princeps animi magnitudine, & rei militaris ſcientia clariſsimus, cùm contra Vayuodam rerum ſumma ipſi commendata eſſet, Budæ, dyſenteria, ingenti prædictæ Brandeburgenſis familiæ totius mœrore, fuit extinctus. Itaque Principi noſtræ vel natale tempus totius futuræ ſuæ vitæ modum, nimirum omne plerunque gaudium perpetuo triſtitiæ mox ſecuturæ condiméto, ad exceſſum etiam doloris, miſceri, tacita quadam ratione quaſi præſagire videbatur.

Addo, quòd & nomen eius hanc meam innuere videtur haud abſurdo interpretamento cogitationem. Cùm enim more

more Chriſtiano, ad præſcriptum Seruatoris, Eccleſiæ eſſet implantanda; perque Baptiſmi Sacroſancti regenerationem in librum vitæ cœleſtisque ciuitatis album referretur; admodum ſignificanti nomine, iubentibus ſic parentibus, ANNA MARIA eſt appellata. Quorum illud ANNA cùm gratioſam & amicabilem; hoc verò MARIA, Amarum mare, vel etiam calamitate miſeriaque refertam, Hebræis ſonet: quid obſecro vitæ eius congruentius? nunquid humanæ vitæ totius ideam exprimit? quæ primo quidem intuitu gratioſa videtur, amicabilis, iucunda; reuera tamen nihil aliud eſt, quàm amarum mare, triſtitia, calamitatibus, ærumnis plenus, adeoque exundans Oceanus.

Quod & ſinguli nos quotidie, proh dolor, experimur, vt ex hiſtoria Principis noſtræ luculenter infrà, licèt non ſine animorum noſtrorum dolore maximo, faciam planius. Sed priùs educationis primæ rationes, pueritiæ ſtudia, morumq; profectum delibando potiùs, quàm prolixè narrando perſequar. Quanquam quid vberiore huius explicatione partis opus? Parcendum hîc attentioni & patientiæ veſtræ, quæ ſumma eſt, & exſpectationem vincit meam, cenſeo. Poſſunt hæc magna parte ſui, & ex ijs, quæ dicta iam ſunt, & porrò dicenda mihi reſtant, haudquaquam difficulter æſtimari. Patrem huius tanta pietatis, & ardentiſsimæ veræ religionis exiſtimatione claruiſſe docuimus; vt cognomentum PII, quæ laus eſt Principis ex omnibus ampliſsima, fuerit adeptus: Matrem etiam HEDVVIGIM, ſicut pariter etiam alteram GEORGII PII coniugem Aemiliam, Saxoniæ Ducem inclytam, vnius filij, & trium filiarum matrem adhuc ſuperſtitem, ſeptuagenaria maiorem, è domo pietatis fama celebratiſsimæ procreatam, piam admodum, bene moratam, ſanctam, Dei cumprimis, Dominique ſui Coniugis, & Sobolis fuiſſe ſtudioſiſsimã accepimus. Num optimos hoſce, pijſsimosque Parentes filiam hanc negligentiùs educaſſe ſtatuendum eſt? an non potiùs exquiſito quodam ſtudio à teneris, quod aiunt, vnguiculis, adeoque materno lacte, cùm à prima inſtitutione tota

ſequens.

ſequens pendeat, tanquam à cardine, vita; ad pietatem (qua nullum liberis aut certius, aut luculentius, aut, ſecundùm Apoſtolum, & ad hanc, & ad immortalem vitam vtilius relinqui poteſt patrimonium) inſtituiſſe; adq; omnem pueritiæ ſanctè degendæ congruentem diſciplinam, ad pias preces, ad doctrinam Catecheticam; adq; verbum diuinum diligenter, & cum perceptione fructus audiendum, referendũ, conſeruandum, ad ſacrorum Bibliorum aſsiduam lectionem, ad Pſalmos, & pias cautiones ediſcendas, ad religioſum & crebrum vſum Sacramentorum, ad omnia veræ pietatis exercitia: quinetiam ſimiliter ad omnes reliquas virginitati laudatiſsimæ quaſi proprias virtutes, ad pudicitiam, ad modeſtiam, ad verecundiam, ad vrbanitatem, ad comitatem, ad omnia cætera ſexus huius ornamenta ſedulò ſoliciteque adſueféciſſe ſine dubitatione putandum eſt?

Et quis vlli dubitationi locus relinqueretur? cùm & qualis hæc patriæ diſciplinæ ratio, formaque fuerit; & qualem ipſa ſe in illa pulcherrima morum Schola præbuerit; quàm obedientem, docilem, facilem; quos in ea fecerit progreſſus; quibus virtutum incrementis aucta fuerit; euentus poſtea manifeſtè declarârit: quando felicißima fœcundißimaque facta Coniunx, pulcherrimum patriæ educationis exemplum imitata, ſimilem modum in ſuis quoque liberis (quos omnium parentum bonorum conſuetudine ſibi quàm ſimilimos eſſe cupiebat) exquiſitiſsima diſciplina educandis & informandis diligenter obſeruauit & expreſsit. Quod vt, qua ratione contigerit, breuiter ſubtexamus, tempus & hiſtoria ſubmonere videntur.

Sic igitur illuſtris noſtra virgo in patrio Gynæceo, pulcherrima illa pietatis & omnis honeſtatis quaſi officina, nubilem ad vſque, viroque maturam ætatem, ſuccreſcebat.

Ad quas præclariſsimas omnium dotes, & hoc extrinſecus in ea decus, Deique donum haudquaquam modicum, &

Spiritus

332

Spiritus ſancti etiam in ſacris literis elogio prædicatum, accedebat; vt excellenti forma, facie venuſta & luculenta, totiusq; corporis habitu commendatiſsimo ſpectabilis eſſet; ac tum quidem verè nominari poſſet, ANNA, gratioſa, vereque amabilis.

Quare etiam Illuſtriſsima noſtra virgo, verè quidem & generis, & virtutum, & formæ ſplendore Illuſtriſsima, dotis huius ſuæ cumulatiſsimæ, ſplendidiſsimæque radios luculenter emittens, facilè ſui amorem ita concitauit; vt, veluti fragrantiſsima roſa ſuauiſsimum effundens odorem, ab Illuſtriſſimo Principe CHRISTOPHORO, Duce Vvirtembergico, incomparabili illo, & inclytæ memoriæ Heröe, expeteretur. Idque fiebat non modò conſenſu, verùm etiam ſuaſu Illuſtriſſimorum vtrimque Parentum, tam Vvirtembergicæ domus, quàm Brandeburgicæ.

Gaudebant mutuò, & ſibi congratulabantur vehementer vtrimque Parentes, de exoptatiſsimis ſibi, per hoc matrimonium, fœderibus, ac coniunctionibus illarum familiarum, in quibus Dei beneficio vera religio tanquam in poſſeſsionem veniſſet. Neque minùs ILLVSTRISSIMA Sponſa, neque minùs ILLVSTRISSIMVS ſibi Sponſus gratulabatur. Sapientiſsimus enim Princeps rectiſsimè iudicabat, eam ſibi matrimonio, indiuiduam vitæ comitem, aſſociandam, quæ, præter cæteras dotes amplisſimas, veram religionem à pijſsimis, vt dictum eſt, parentibus hauſtam adferret: quam ſolam ipſe & veram eſſe ſciebat, & ardenti zelo profitebatur, & liberis aliquando ſuis inſtillari deſiderabat. Dici enim à me non poteſt, quantum in coniugijs ad ſummum illud neceſsitudinis vinculum, ad animorum arctiſſimam illam conglutinationem, à varia læſione ſartam tectamque conſeruandam, religionis valeat conſenſio: quantam pariat confuſionum & malorum materiam eiuſdem diſcrepantia.

Exemplis res eſt quotidianis plus quàm pernicioſis apertiſsima. Hæc igitur Princeps, ab ipſis incunabulis ad veram religionem adſuefacta, Duci CHRISTOPHORO E. M. tacito Dei decreto, deſtinata, dignaque fuit nubere. At verò tantorum tamq; Illuſtrium Sponſorum nuptiæ, qua fuerunt pompâ celebratæ? Hîc iterum, vt natali tempore, quo Patruum amiſit CASIMIRVM, vti demonſtratum eſt, verè MARIAM fuiſſe, amara triſtitia plenam, apparuit.

Illuſtriſsimus enim Princeps GEORGIVS Sponſæ Pater, in ipſo nuptiarum apparatu inexſpectata luctuoſaq; morte diſcedens, acceptiſsimum illum deſideratiſsimumque Generum Filiæ thalamos ingredientem videre non potuit. Hac iuſtiſsima de cauſa nuptijs intermiſsis, pientiſsimi Liberi deſideratiſsimi Patris triſtiſsimum obitum, debito potiùs luctu, gemitu, lachrymis proſequendum, quàm nuptiali pompæ & hilaritati aliquid dandum exiſtimarunt: demumque ſequentis anni principio qualeſcunque nuptias, ad Purificationis ſolenne celebrârunt; cùm Illuſtriſsima noſtra Sponſa eum ætatis ſuæ annum ageret, in quo FLOS ipſe, Terentiano ſuffragio, nominari merebatur.

His exactis Dux CHRISTOPHORVS, cum exoptatiſſima ſibi Coniuge, Mompeligardum, quem ab Illuſtriſsimo Patre Comitatum poſsidendum acceperat, conceſsit.

Proh quæ congratulationes cùm inter illos ciues, ac multos alios, tum tota ditione Vvirtembergica coorie bantur? quæ comprecationes? quæ omina? Gratulabantur omnes boni & Illuſtriſsimis Coniugibus, & Reipublicæ vniuerſæ: tales diuina prouidentia ſociatos & datos eſſe huic terræ Coniuges; qui conuictus ſuauitate, animorumque mutua conſenſione reliquis prælucerent, & omnibus exemplum Coniugibus, in quauis fortuna coniugialiter ferenda, præberent; denique fœcunditate ſua, generoſæque ſobolis procreatione perpetuos ſubditis ſuis ſucceſſores relinquerent.

Neque

333

Neque etiam vanæ fuerunt hæ preces & omina. Sicut enim in hoc auſpicatiſsimo matrimonio incredibilis erat vtriuſque Coniugis, ad omne genus officij, & obſequij honeſti ad benè beateque viuendum motus; ſic ad exquiſitam vnanimitatem in religione, reliquiſqúe vitæ omnibus actionibus mutuum & perpulchrum erat certamen: turturum concordiam, & imaginem repræſentabant; ſpeculum dilectionis coniugialis exhibebant. Illuſtriſsimi Coniugis Illa radijs, tanquam fulgentiſsima ſtella, coruſcabat: at viciſsim Domino ſuo coronæ radiantis (ſic probam & cordatam vxorem Sapiens vocat) inſtar erat. Verè, inquam, in ſecundis erat Corona rebus: in aduerſis autem Adiutorium illud optimum, certiſsimum, ad extremum vſque rogum indiuiduum, conſolationeque pleniſſimum.

Et huius quidem rei maturè admodum haud procul ab initio Coniugij feliciſsimè cœpti ſpecimen fuit edendum.

Cùm enim Dux CHRISTOPHORVS, Maritus longè optimus, Mompelgardi iam fixa ſede, portum in aliquem trãquillitatis, ex varijs calamitatibus, peregrinationibusque periculoſiſsimis perueniſſe ſibi videretur; & cum amantiſsima ſui Coniuge placidiſsimam ageret vitam; haud leuis oborta tempeſtas quietem eorum valdè perturbauit, & afflictionum fluctibus obiecit.

Bellum ſiquidem Germanicum magnum illud & patriæ damnoſum exarſit: ac cùm, ob Cæſaris CAROLI victoriam, Pater (ſicut & cæteri Principes) in diſcrimine verſaretur; Dux CHRISTOPHORVS in eas etiam coniectus fuit difficultates, vt Baſileam vnà cum Coniuge concederet; quæ huius indiuidua Comes fortunę, bonam eius partem ſubleuabat: hocque modo à DOMINO DEO in crucis & afflictionum Scholam, in qua Princeps CHRISTOPHORVS iam antea militauerat, & exercitatus erat, deducebatur. Solet autem Deus in

cruce ſuos reſpicere, auxiliares præbere manus, & inuocantibus eum in die tribulationis eripere.

Quamobrem paruo temporis interiecto ſpacio, in eum res Principis CHRISTOPHORI deductæ locum, tantæque ſerenitatis exortum fuit aſtrum, vt non modò Mompelgartum reuerteretur, ſed in formulam Religionis nouam ab Epiſcopis præſcriptam (Interim vulgò vocabant) animi Heros pleniſsimus, non conſentiret; ſed ſuam & veram Euangelij doctrinam profiteretur, conciones pias audiret: quinetiam Miniſtris exulibus, & ipſorum liberis hoſpitium clementer præberet; digniſsimus omnino Princeps, qui ampliori regno præfectus, ampliorem occaſionem, materiam, & facultatem, ad animum ſuum, ad pietatem, ad zelum in Rempublicam, inque Eccleſiam demonſtrandum, haberet. Quod etiam breui tum tempore pòſt, contra Pontificiorum exſpectationem & ſpem omnem, Deo ſic volente, factum eſt.

Nam, Illuſtriſsimo Patre HVLDERICO ſummo laudatiſsimoq; Principe defuncto, in auitæ ditionis poſſeſsionem, maximis ſubditorum votis & applauſu, immiſſus eſt: Socia, vt omnium laborum, dolorum, periculorum: ſic etiam huius fortunæ mutatæ, honoris & tanti boni dilectiſsima Coniuge ANNA MARIA: per quam, tanquam optatiſsimum illud adiutorium & organum, Deus Optimus Maximus Principis CHRISTOPHORI ingentem felicitatem acceſsione maxima reddidit cumulatiorem: dum eam ſingulari clementia reſpiciens, fœcundiſsimam eſſe voluit: ſicut etiam eius Sororem germanam, vnicam, laudatiſsimam, pientiſsimam, & longè optimam Principem SABINAM: quæ IOHANNEM GEORGIVM Electorem Brandenburgicum, multò præclariſsimum Principem, & omnium ordinum ſententia vnanimi, Patrem patriæ nominatum, liberis quindecim auxit.

Noſtra verò Princeps Dominum Coniugem ſuum duodecim partubus, raro in familia Vuirtembergica fœcunditatis ex-

tis exemplo, lætiſsimum fecit Parentem: præſtantiſsimos pulcherrimosque liberos, Mompelgarti quinque, Stutgardię ſeptem, enixa:

EBERHARDVM videlicet primogenitum, MAXIMILIANVM, HVLDERICVM: qui omnes immatura, detrimentoſa, luctuoſa, tum ſubditis, tum Illuſtriſsimis Parentibus, morte, ante diem ſunt erepti, maximumque ſui poſt ſe reliquêre deſiderium: quod tamen filius Dux LVDOVICVS, Illuſtriſsimus Princeps noſter, Dei benignitate ſuperſtes, ita leniuit: vt tandem poſt aſſumtum regni auiti gubernaculum, omnino, imperij ſui felicitate & excellentia, ſuſtulerit. Deus Optimus Maximus ſolus omnium regnorum dator, & moderator eius Celſitudinem nobis vniuerſis ſubditis, & toti Eccleſiæ Chriſtianæ quàm diutiſsimè ſaluam conſeruet, & exoptatiſsimi hæredis exortu lætificare dignetur.

Celebrantur, & maximam apud Hiſtoricos ſingulorum temporum & gentium laudem inueniunt veterum Heroum Principum, Regum, & Imperatorum matres, quòd aliæ alios auitorum regnorum hæredes in lucem ediderunt; ſi non maiora, paria certè laudum encomia iure ſuo ſibi vendicat hæc mater, quæ Domum Vvirtembergicam, paucis tum columnis innixam, generoſo partu hoc tãquam fortiſsimo ſuſtentaculo & columna ſuffulcijt, ædificauit, atque etiam illuſtrauit: dum eum nobis & laborioſè peperit, & præclariſsimè educauit Principem, quem non tantùm, & meritò quidem, ſubdita eius ditio, ſed omnes eæ gentes, quæ verè Chriſtianæ cenſentur, ſuſpiciunt, admirantur, & chariſsimum habent; tanquã veriſsimum patriæ Patrem, Eccleſię Nutricium, & doctorum, ſtudiorumque Patronum incomparabilem. Filias autem edidit octo, HEDVVIGIM, ELISABETHAM, SABINAM, ÆMILIAM, ELEONORAM, DOROTHEAM MARIAM, ANNAM, SOPHIAM. O ingens Dei beneficium, in homines Principes tam clementer collatum. Quod potuit eſſe iucundius ſpectaculum, quàm hæc πολυτεκνία? quid Illu-

ſtriſsimis hiſce parentibus gratius accidere, quàm hæc *εὐτεκνία*? quod exemplum clarius diuinæ benedictionis? quam dulciſsimus Dauidis Pſalmus euehens, fœcundam vxorem, fertili grauidæque viti, circum latera domus ſerpenti, liberos verò nouellis oliuarum in circuitu menſæ, ſuauiſsimè confert?

Duo quidem ex illuſtribus his liberis filioli, MAXIMILIANVS, & HVLDERICVS, in pueritia ſunt extincti: reliqui verò ſimul ab his Parentibus ita ferè ſunt educati; vt plerunque cum nouem illuſtribus his & dulciſsimis ſuis pignoribus accubuerint; & quidem Domina Mater aſsiduè; Illuſtriſſimus autem Pater hoc in more poſitum obſeruabat; vt prandium cum aulicis ſuis, Comitibus, Baronibus, Nobilibus, Cõſiliarijs, Legatis, & peregrinis hoſpitibus frequentiſsimis; cœnam verò cum Coniuge, & ſuauiſsimis ſuis liberis ſumeret; & iſtius diuinæ benedictionis fructum plurimos annos ſumma cum voluptate perciperet, & filios filiarum videret. Quàm autem ſolicitè, quàm accuratè, coniunctis hi Parentes curis, ſtudijs, vigilijs in hac numeroſa ſua educanda Sobole, partim per Præceptores, partim viua voce ſua laborârint, incredibile eſt; neq; hìc tam recenſeri prolixè, quàm attingi breuiter conuenit.

Hìc igitur ſanctiſsimæ diſciplinæ Schola florebat; in qua vera pietas, vera fides, Chriſtianæ religionis articuli (Catechiſmum vocant) diligenter inculcabantur, ediſcebantur, à Principibus liberis, vt vulgò in templis aſſolet fieri, quotidie per vicem, ad vnguem recitabantur: quotidianæ preces, matutinæ, veſpertinæ: lectio Bibliorum, concionum auditio, repetitio, redditio, cantiones ſacræ, Cœnæ Dominicæ vſus, & omnes Chriſtianæ exercitationes vrgebantur & exigebantur: hìc omnium virtutum quaſi officina quædam feruebat; in qua morum elegantia, cibi, potionis, veſtimentorum modus, humilitas, obedientia, modeſtia, verecundia, pudicitia docebatur; hìc denique bonarum artium & linguarum ſtudia tanquã in Gymnaſio feruebant; neque filij tantùm, ſed filiæ quoque in Latinis literis, nequaquam cauſas ob leues, exercebantur.

O quan-

335

O quantis votis optandum eſſet, hanc exquiſitam educationis formulam omnes Patres & Matres in liberis ſuis informandis imitatione conſequi; non ita multi remiſsiore, molliore, laxioreque noſtri temporis educatione, & in ſuam, proh dolor, & aliorum perniciem corrumperentur.

In hoc autem laudatiſsimo puerilis inſtitutionis opere, cùm Illuſtriſsimus Pater, Dux CHRISTOPHORVS, incredibili & rerum priuatarum, & publicarum, aliorumque regnorum multitudine obrueretur & diſtraheretur: Domina Mater vtriuſque ſæpè partes obiuit: hæc fideliſsimam ſe Domino Marito præbuit hîc adiutricem; hæc vera Curiæ, vera morum extitit Magiſtra: quippe nullas materni officij partes Deo gratiores eſſe, pia liberorũ inſtitutione, rectè pieque ſibi perſuadens. Vnde quemadmodum in egregio Patris ſui Gynæceo quondam ipſam ad omnem vitæ decorem perpolitam fuiſſe, ſuprà meminimus: ſic ea ſuam quoque ſibi Sobolem informandam ad omnem vitæ pulchritudinem, ac proinde ad exoptata & congrua matrimonia quondam adipiſcenda ſtatuit. Nec eam ſua fefellit exſpectatio. Cùm enim hi liberi Principes in tam præclara virtutum ſchola, ſub tam fideli morum rectrice, cuſtode, & curiæ Magiſtra fuiſſent educati: factum eſt, vt, eorum fama longè lateque ſparſa, clariſsimi quiq; Principes hinc matrimonia, certatim quaſi, ſibi & ſuis expetiuerint.

Nam, vt de Illuſtriſsimo Principe noſtro, Domino LVDOVICO, taceam; qui duorum clariſsimorum, & antiquiſsimarum familiarum Principum filias generoſiſsimas facilimè impetrauit; nimirum primùm Illuſtriſsimi Principis, D. CAROLI, Marchionis Badenſis & Hochburgenſis, &c. beatæ & excellentis memoriæ, filiam inclytam & laudatiſsimam DOROTHEAM VRSVLAM: deinde, cùm hæc anno octogeſimo tertio in Chriſto feliciter obdormiuiſſet, Illuſtriſsimi Principis D. GEORGII IOHANNIS, Comitis Palatini ad Rhenum, Veldentziani, Ducis Bauariæ, &c. filiam inclytam & laudatiſsimam VRSVLAM; cum qua etiamnum magna ſua-

uitate

uitate & concordia, vtinam etiam magna fœcunditate & longæuitate, viuit: filias certè virgines clariſsimas Principes Illuſtriſsimi & pari generis excellentia commendatiſsimi ambiêrunt, & impetrârunt:

HEDVVIGIM, Illuſtriſsimus Princeps Haſsiæ Landgrauius, D. LVDOVICVS, &c.

SABINAM, (anno octogeſimo ſecundo piè mortuam) huius frater Illuſtriſsimus Princeps Haſsiæ Landgrauius, D. VVILHELMVS, &c.

ELISABETHAM, Illuſtriſsimus Princeps D. GEORGIVS ERNESTVS vltimus Comes Hennebergicus, &c. anno 1568. qui anno 1584. die Iohannis Euangeliſtæ placidè expirauit: Vidua hæc nupſit Illuſtriſsimo Principi D. GEORGIO GVSTAVO, Comiti Palatino Rheni Veldenziano, Duci Bauariæ, &c. Domino meo, & Compatri clementiſsimo:

HELEONORAM: Illuſtriſsimus Princeps Anhaldinus, D. IOACHIMVS ERNESTVS, &c. qui anno 1584. piè defunctus: Viduam hanc nuper adeo duxit Illuſtriſsimus Princeps Haſsiæ Landgrauius, D. GEORGIVS, &c. ita vt, raro quidem, ſed licito & honeſtæ affinitatis exemplo, tres fratres germani, trium germanarum ſororum Coniuges extiterint longè coniunctiſsimi:

ÆMILIAM, Illuſtriſsimus Princeps Palatinus Rheni Simeranus, Dux Bauariæ, &c. D. RICHARDVS, &c.

DOROTHEAM MARIAM, Illuſtriſsimus Princeps D. OTHO HENRICVS Palatinus Rheni, Sponheimius, Dux Bauariæ, &c.

ANNAM, Illuſtriſsimus Princeps IOHANNES GEORGIVS, Dux Lignicenſis & Brigenſis, &c.

SOPHI-

SOPHIAM, Illuſtriſsimus Princeps, FRIDERICVS VVILHELMVS, Dux Saxoniæ, &c. anno 1583. Dominus meus & Compater clementiſsimus. Quibus omnibus & ſingulis felicitatem ſororum, RACHAELIS, & LIÆ, ex animo precor. Et quidem hæc de liberis: ad perpetuam Illuſtriſsimæ Principis vitæ commemorationem reuertamur.

Quàm autem ſplendidiſsima hæc fax coniugij cum Domino ſuo, Duce CHRISTOPHORO, caſtè, quàm ſanctè, quàm comiter, quàm innocenter, quàm piè, quàm concorditer, in Chriſtiana, coniugali, Principibus digna charitate, reuerentia, coniunctione, & fide, ad annos viginti quinque, in omni & felici, & aduerſa fortuna vixerit: quàm ſe congruenter ad Principis Coniugis ſui mores, ad ſenſum, ad affectum omnem accommodârit, neque ab ipſius voluntate, ne latum quidem digitum, diſceſſerit; ſed, ſecundùm Apoſtoli mandatum, obſequentiſsimam ſemper exhibuerit; in lætis exhilararit; & ipſa ſe lætam præſtiterit; in triſtibus autem, in negociorum varietate, copia, difficultateq́ue, in quas ſæpè Principes, & facilè conijciuntur, mœſtum recreârit, ac conſolata ſit; incredibile dictu eſt.

Iis enim omnibus aucta fuit & quidem cumulatiſsimè dotibus, quas Spiritus ſanctus, per Prophetas & Sapiẽtes ſuos in laudatiſsima, in bona, in proba, in ſtrenua, in commoda, in intelligente, in prudente, in taciturna, in fideli, in verecunda, in ſtabili vxore depingit ac requirit: eamq́ue his ornatam donis, donum Dei, coronam viri ſui, gaudium, beatitatem, longæuitatem, pinguedinem, theſaurum, Solem orientem, domus pulchritudinem, lucernam ſplendentem, columnam auream ſuper argentea baſi nuncupat. Talis reuera fuit in omnibus coniugij partibus & officijs ANNA MARIA.

At quibus præterea in reliquo vitæ vniuerſo ſtatu virtutibus excelluerit, quibus, non inter vulgus dico, ſed illuſtres etiam perſonas ornamentis effulſerit, vellem quidem & de-

berem percenſere: ſed quid ego nunc ea tentem, cùm in ijs, quæ à me dicta ſunt hactenus, orationem meam gracilem & debilem ponderoſis iſtis rebus ſuccumbere perſentiſcam? Tacendum tamen omnino non eſt; ſed aliquid de præcipuis aliquot adhuc (minuta enim quis ſermone, quamuis longiſſimo, compleċteretur?) excellentiſſimæ noſtræ ANNÆ MARIÆ ornamentis addendum.

Quid enim? Singulares omnium virtutum imagines & actiones conſpexit in Illuſtriſſimo ſuo Principe marito, tanquam in ſpeculo quodam lucidiſſimo, quas omni ſtudio ſibi æmulandas eſſe duxit, & cùm liberis ſuis, tum alijs omnibus ad imitandum proponendas. Sanctiſſimi ſui Principis exemplum, & pietatis ſtudium quotidie ſequebatur: Statis horis cum liberis ſuis ardenter precabatur: lectioni Bibliorum, & aliorum etiam vtilium ſcriptorum diligenter vacabat: conciones cum attentione ſumma frequentabat: Cœna Dominica, fidem ad confirmandam ſuam, ad animam ſanctiſſimo corpore & ſanguine Chriſti cibandam, & reficiendam, ſæpe maxima mentis deuotione vtebatur; diuini verbi miniſtros ſynceros illos & pios, non ſuæ modò ditionis, ſed alios etiam peregrinos, exules, profligatos & miſeros, vt lubentiſſimè audiebat, fauore ſummo proſequebatur, & interceſſione ſua Principem apud ſuum nunquam non fructuoſa promtiſſimè iuuabat, & hinc ſibi apud Deum & homines gratiam ad immortalitatem comparabat: ſic falſa dogmata, ſectas impias, fanaticaſque opiniones, religionum monſtra ſequentes; & inter hos imprimis Cinglianos odio proſequebatur & deteſtabatur acerrimo: ſic, vt hoc quoque modo Principis ſui flagrantiſſimo pietatis & religionis zelo ſe conformârit.

Iam verò quàm ſe præbuerit in æquales, in Aulicos, in ſubditos, in omnes, in omni conuictu benignam, comem, placidam, clementem, inprimis autem erga pauperes & afflictos, miſericordem, attingere quidem ego fortaſſis, verbis autem comprehendere non poſſum. Ac, vt cætera tranſeam omnia,

omnia, de beneficentia in pauperes, & largiſsimis eleemoſynis, quas benigniſsimè, promtiſsimeque omnibus egentibus, ſæpiſsimè etiam non petentibus, modò in ipſius cognitionem eorum egeſtas perueniſſet, pecunijs, veſtibus, & quibuſcunque corporis alimentis erogauit, argumentum, quæſo, percipite.

Nouerat, & experiebatur etiam quotidie, non ſine maximo commiſerationis affectu, quæ plærunque pauperum in pagis, in ciuitatibus etiam, ſit conditio. Hi, dum ineuitabilibus neceſsitatis telis premuntur; plærunque neceſſarijs alimentis deſtituuntur, famem, & frigora patiuntur; aut ſaltem præter omnem ordinem quibuſuis obiectis cibis, minus ad eſum aptis, & ſalubribus paſcuntur; & ſic omnia valetudinis incommoda ſuſtinere coguntur. Hinc febres, peſtilentiæ, & omnis generis morbi redundant. At ſunt Medici, ſunt Pharmacopolia, inquis: Verùm vbi neruus pecunia? Dum hac deſtituuntur, & Medicos, Pharmacopolasque conſulere erubeſcunt; ſuas Medicas, neſcio quas anus indoctiſsimas, & medicarum rerum inſcientiſsimas, circumforaneos, ſeplaſiarios accedunt; quorum remedia paucæ aliquot herbæ ſunt, & radices, tanquam Panace, omnibus morbis auxiliantes. His vſi, vel citò conficiuntur, vel diuturnis morbis conflictandi & cruciandi ſubijciuntur. O miſerrimos ſemper pauperes homines; hac verò parte multò miſeriores.

Exemplis igitur miſericordiſsimi Chriſti, & Apoſtolorum eius, clementiſsima Princeps, pauperum hanc dolendam vicem commiſerata, Principem ſuum, pauperibus addictiſsimum, rogauit; vt in arce Pharmacopolion, in medicinas, pauperibus deſtinatas & erogandas, inſtrueretur. Hoc ſimul ac rogatum, facilimè fuit impetratum. Apparatum enim fuit in arce principali magnis impenſis, omni medicinarum genere pleniſsimum, inſtructiſsimumque, & cura ſingulari cuſtoditum pharmacopolium.

Sed quid Pharmacopolion nuncupo? Nihil ibi venale; nulla, quam vocant, taxatio; nulli locus precio; Pharmacodorion dixiſſem: omnia ſiquidem ibi donantur: gratis, & liberaliſsimè quidem erogantur: & in hunc ſolum inſtructa fuit hæc officina finem, vt ægrotantibus, præſertim pauperibus, optimis & ſaluberrimis pharmacis ſubueniatur.

Nihil enim hîc vile, nihil abiectum, nihil rancidum, nihil mucidum, nihil diutino ſitu contractum, nihil vetuſtate corruptum; ſed delecta, & exquiſita omnia: vetera, mucida, ſitu deprauata, ſtatis temporibus aboliuntur: importantur noua: inſtaurantur omnia. Huc igitur ex agris, ex pagis, ex ciuitatibus, tanquam ad Apollinis Delphici tripodem, confugitur. Neque verò pauperibus tantùm huc, ſed alijs quibuſcunque patet acceſſus, caſibus interdum neceſsitatis ſic poſtulantibus: Dum aliqua locis in alijs, aut non inueniuntur, aut hîc eſſe meliora ſperantur. Ego certè quidem ipſe quodam in caſu filioli mei feliciter aliquando ſum expertus: Deo ſit, & Illuſtriſsimæ Principi laudatiſsimæ, huius apothecæ medicinalis autori, & conſeruatrici etiamnum laus, & gratia.

Etſi autem hæc proprio commendata fuit officina magiſtro: tamen eius benigniſsima Princeps ſuperiorem agebat quaſi præfectam; & quia pauperes inferiore ferè loco ſemper eſſe, ac plerunque negligi ſciebat, ipſamet vt huius erat rei ſcientiſsima; ſic pharmaca quoque curabat & adminiſtrabat; itàque in pauperum morbis & ægritudinibus cognoſcendis, curandis, ſubleuandis, tollendis, ſolicitè admodum ipſis affectis, vel ad ſe multoties vocatis, vel etiam clementer viſitatis, & oculari inſpectione examinatis, laborabat & aduigilabat; vt certare voluiſſe viſa ſit cum Placilla, Theodoſij Imperatoris coniuge, quę in pauperes tanta liberalitate & beneficentia fuiſſe ſcribitur, vt horum causâ viliſsimas famularum operas ſubire non grauata, dedignataque fuerit. Quæ verò Chriſtus (qui homines, ad exemplum cœleſtis ſui Patris, miſericordes eſſe mandat; & ne frigidæ quidem hauſtum, egenis ſuis

membris

membris porrectum, ſine præmio futurum, & perditum iri promittit) tali miſericordiæ, liberalitatis, & beneficentiæ generi præmia conſtituerit; quàm amplam & abundantem in regno cœlorum exſpectandam & accipiendam mercedem; huius loci, niſi fallor, explicare non eſt.

Vnum hoc addo, Principem noſtram diuiniſsimæ huius virtutis nomine, poſteros apud noſtros, ęternas eſſe laudes inuenturam; ſicut ſuæ vitæ tempore maximam ob hanc, & alias virtutes plurimas apud omnes gloriam fuit, prædicationem, & exiſtimationem ingentem conſecuta.

Dum hoc modo, rebus ad voluntatem multis annis fluentibus, in felicitatis quadam arce poſita videretur; Deum ſibi ſciret eſſe clementiſsimum: Principem ſuum ſui amantiſsimum: Patrem patriæ hunc cenſeri, & apud exteros Principes ſummo loco haberi: regni ſtatum eſſe ter optimum: liberos Principes partim exoptatiſsimis matrimonijs florere; partim domi ad omnium auitarum & domeſticarum virtutum & laudum excellentiam, vt palmites, & oliuas nouellas ſuccreſcere: ecce Deus in prædictam crucis & afflictionis Scholam Principem noſtram reducit: etſi enim ad tempus interdum hanc claudere ſolet, & mitigare moleſtias; ſuosque reſpirationi, & huius etiam mundi gaudijs permittere: tamen, ne cum hoc mundo ſecuri pereant, ſed in afflictionibus ipſum inuocent; ſubinde tribulationes pijs, tanquam mundo, poſt lucem tenebras, poſt ſerenitatem pluuias, poſt æſtatem hyemem, perpetua viciſsitudine, ſine qua res omnes corruerent, immittere; & hac ratione ſuos, tanquam aurum igni, probare conſueuit. Quomodo, qui in arena ſeipſum non exerceat, inquit D. Chryſoſtomus, in certamine inſignis erit atque conſpicuus?

Hæc non ideò tamen à me dicuntur, quaſi Princeps noſtra nullis interim ſubiecta fuerit perturbationibus. Nam, vt antè meminimus, à prima ſui creatione, ſecundùm nomen

 ſuum,

ſuum, acerbiſsimis miſerijs fuit obiecta: dum in vtero matris, Patruum: in nuptiarum apparatu, Patrem, amiſit. Poſtea quoq; in tam ampla, auguſtaque gubernanda familia, in tam numeroſæ ſobolis educatione difficili, dum alijs alij morbis & incommodis diuexantur; multa quotidie contingunt, quæ Parentibus, Matribus præcipuè, non ſine moleſtijs ſunt deuoranda. Accedebat eodem Domini mariti ſui valetudo ſatis per multos annos incommoda. Sed hæc leuiora fuerunt omnia, ſi cum ijs, quæ iam recitaturus ſum, conferantur.

Etenim anno ſexageſimo octauo, cùm Dux EBERHARDVS, Princeps, & Heros, animi, corporisque donis excellentiſsimus, annos natus nondum viginti quatuor, Illuſtriſsimorum Parentum filius primogenitus dulciſsimus, ſpes poſteritatis maxima, baculus ſenectutis firmiſsimus, ſolatium in quauis fortuna iucundiſsimum, decus, & ſpes Ducatus Vvirtembergici ſumma; cùm hic, inquam, ad id ætatis ematuruiſſet, quo grandæuum Dominum Parentem, & multis Imperij laboribus cōfectum, gubernationis moleſtijs & onere maximo ſubleuare potuiſſet; ac iam debuiſſet; ſed præter opinionem & omnium exſpectationem extingueretur; quantum acerbiſsimi doloris vulnus, vnà cum Illuſtriſsimo Principe CHRISTOPHORO, tum, causâ fouendæ valetudinis, in Thermis ferinis agente, acceperit; facili colligi poteſt coniectura.

Eodem anno nondum integrè completo, quantus eam denuo & luctus, & doloris fluctus obruerit, & penè ſubmerſerit; nondum ex Aulicorum hominum memoria effluxit.

Poſtquam enim Illuſtriſsimus Princeps CHRISTOPHORVS, Heros ille incomparabilis, & patriæ Pater veriſsimus, circa prædicti finem anni, die Innocentium, innocentiſſimus Princeps, piè, placideq;, cum omnium non modò ſubditorum, ſed externorum etiam hominum, Principum, & omnium bonorum incredibili luctu, è mundo diſceſsiſſet; & Princeps

339

ceps hoc modo noſtra, coniunx defuncti Ducis fidiſsima, indiſſolubiliq́ue coniugij vinculo ei quaſi conglutinata, non modò prius illud vulnus, nondum cicatrice obductum, refricuiſſet: ſed inſuper nouum etiam accepiſſet tantum, vt dimidium à corpore ſuo auulſumq́ue quaſi ſentiret: quàm acerbum, quàm exquiſitum ei res hæc attulerit dolorem, nemo eſt, qui non per ſe ſatis poſsit intelligere. Quem etiam amara, & hoc modo renouata recordatio augebat illa: quòd eodem hoc die, ante annos 25. Patrem ſuum optimum & innocentiſſimum illum, cuius ſuprà quoque meminimus, inclytæ, memoriæ Principem, GEORGIVM PIVM, Marchionem Brandenburgicum, &c. ſimili beatitate mortuum amiſerat.

Iterum hîc ergo verè afflictiſsima Princeps noſtra, MARIA, fuit: amariſsimis ſæui maris obiecta fluctibus. In hac tum demum vaſtiſsima perturbationis tempeſtate, coniugijq́ue miſerabili naufragio veriſsimam, fideliſsimam, conſtantiſsimamq́ue ſe coniugem demonſtrauit. Teſtantur ſiue Hiſtoriæ, ſiue Fabulę (fide ſiquidem maiora referam) apud Thraces vxorem chariorem (plures enim ducunt) cum viro ſepeliri: apud Indos, & Afros, vxores cum defunctis viris comburi.

Scribit Diodorus, Alceſtem, Admeti Theſſali vxorem, tanto amore maritum dilexiſſe, vt pro eo mortem non recusârit: cùm eius Parentes id facere neglexiſſent. Quod Plato in conuiuio ita Dijs acceptum fuiſſe refert; vt hanc ab Inferis continuò ſuſcitârint, tam egregio facinore delectati.

Cùm Capaneus in bello Thebano, dum ſcalis magno murum impetu conſcenderet, perijſſet; vxor eius Euadne nimio coniugis amore ſe in eius rogum ardentem præcipitauit.

Laodamia, cùm Proteſilaum Principem in bello cecidiſſe, intellexiſſet; optauit, vt eius vmbram videret; qua re conceſſa; non deſerens eam, in eius amplexibus perijt.

Magna

Magna ſunt hæc, & hoc quidem ſexu maiora: vnde ſtatuas etiam in Virtutis templo meruiſſe ſcribuntur.

Etſi autem hæc laudanda non ſunt; neque etiam ideo à nobis referuntur, vt factum ipſum, & impietatem Ethnicam admirari, & approbare videamur: vis tamen inde matrimonialis affectus probari poteſt.

Quid verò noſtra Princeps ANNA MARIA? vt toto coniugij, ſic hoc extremo vitæ tempore Domino marito ſuo omnia fideliſsimæ Chriſtianiſsimæque coniugis officia decentiſsimè præſtitit, eundemque omnibus pietatis, & obſequij maritalis acceptiſsimis miniſterijs, ad extremum vſque ſpiritum, (ad rogum etiam, ſi licuiſſet) proſecuta eſt.

Cùm enim is Chriſtianiſsimus Princeps, in agone, ſomno placidiſsimo ſimili, verſaretur; ipſa Princeps, etſi gemitibus, ſuſpirijs, lachrymis impediebatur: tamen precioſiſsima odoramenta Coniugis optimi naribus, reficiendi gratia, manibus ſuis admota ſeruabat; & oculos ſuos in eius auguſto, & dilecto vultu infixos penitus habebat: nec priùs inde vel manus, vel oculos remouit, quàm, beato Ducis in cœlos recepto Spiritu, vltimum Ipſa Princeps ter ſuauiſsimo ſuo Domino coniugi pietatis officium præſtans, oculos eius, & os charum, nulla ſui parte mortuo ſimilia, propria ſua manu, decentem ad defuncti habitum, componeret.

Quin eadem à conſopito iam leniter corpore non priùs abſcedere voluit, nec priùs abſtrahi potuit, quàm ſummis tandem precibus & hortatu præſentium vinceretur. Incredibile dictu eſt, quantum profuderit lachrymarum. Ah, quoties gemitus ſine intermiſsione ingeminauit? Quoties (quod Alceſtem, Euadnem, Laodamiam referunt, feciſſe) pro Domino Marito ſuo ſe mortuam expetiuit? Quod quidem votum ex animo ſine dubitatione profectum, cum multis alijs pijs & claris hominibus habuit commune: tantus vndique luctus,

luctus, tantus dolor, apud omnes bonos, hoc defuncto Principe, oboriebatur.

Etſi autem antea plena ſemper conſolatione fuerat, & eximia patientiæ documenta dederat: tamen, hoc oblato caſu, grauiſsimæ, intimæque perturbationis in ea ſenſus apparuit. Ac quia perpetua ſolicitudine, continuo labore, multis vigilijs, & aſsidua curatione præterlapſis aliquot diebus, imò ferè totius anni tempore maiorem in modū ſe debilitauerat: accedente luctuoſi huius mœroris cumulo, in eam corporis incidit infirmitatem; vt, præter alios, ipſamet eandem ſe viam ituram, Dominumq; ſuum fideliſsimum, & beatiſsimum ſecuturam, arbitraretur.

Sicut etiam diuinæ ſe voluntati ea de cauſa commendauerat: domui ſuæ vniuerſæ, quid de liberis nondum elocatis, de theſauris, de vaſis aureis & argenteis, de cimelijs, de rebus omnibus alijs precioſis fieri vellet; diſpoſuerat: nihilque à Deo magis exoptabat, quàm, ſecundùm eius paternam bonitatem, ſimilem exitum vitæ nanciſci; ac, ſi clementiſsima eius ſic ferret voluntas, in idem cum Domino ſuo beato ſepulchrum deponi; eique, per mortem illam nunc diſiuncto, rurſus hoc modo conſociari. Vnde quoque ſubſequenti ſtatim die in illud conclaue, adeoque lectulum ipſum, è quo pridie Principis optimi beatus animus euolauerat, tranſportari voluit; in eoque cupidiſsimè ſimilem animæ reſolutionem, ad emigrandum, exſpectauit.

Tamdiu verò tenuit eam infirmitas; vt, quanquam in vltimum vſque Decembris Illuſtriſsimum funus differretur; tamen ſumma cum moleſtia & cordis angore domi manere debilitatis neceſsitate compulſa fuerit, & coacta.

Cùm autem funus illuſtre Stutgardia Tubingam ad Vvirtembergicorum Principum monumenta duceretur, ac totam, ad iuſtam luctus pij conteſtationem, campanæ perſo-

narent vrbem, mœroris & doloris ille nódum extinctus ignis reſuſcitatus fuit & inſtauratus: ſic tamen vt Chriſtiana & pia Princeps conſolationem ex diuinis literis, & beato Domini ſui ex hac vita diſceſſu patienter admitteret: &, ad maximum funeris iam exeuntis ſtrepitum minùs audiendum, quartum, primæ ad Theſſalonicenſes; Hiſtoriam item Lazari, Iohannis vndecimo, ſibi prælectam ita diligenter audiuit, & auſcultando percepit; vt, cùm verba Chriſti ad Martham recitarentur: Ego ſum Reſurrectio & Vita, qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis, qui viuit, & credit in me, non morietur in æternum: tum illa, beatum Domini ſui, placidumque memoria repetens obitum, licèt, ob infirmitatem, voce penè deſtitueretur, vera ſunt hæc, inquit; imò iam ipſamet in chariſsimo meo Domino vidi, cum quo ô vtinam ad ſepulturam communem exportarer.

O ingentem fidem, ô charitatem ardentem, ô rarum coniugale deſiderium. Si ſtatuas in templo virtutis Alceſte, Laodamiaque fidiſsimæ, ardentiſsimæque coniuges meruêre; nunquid hæc & ſtàtua memorabili, virtutis in templum ponenda, & hac prædicatione qualicunque noſtra, & auditionis veſtræ attentione maxima, adeoque omnium poſterorum laudatione memoriaque digniſsima cenſenda eſt?

Siquidem hæc, & ipſius Dominus, par coniugum Illuſtriſsimum, animorum conſenſione rariſsima, innocentia vitæ ſingulari, caſtitate coniugali ſanctiſsima, ſobolis educatione diligentiſsima, rerum ſecundarum participatione, aduerſarum toleratione mutua, fide, conſtantiaque planè incredibili, & reliquis, quæ in matrimonijs commendantur, virtutibus omnibus, facem tanquam aliquam luculenter ardentem, omnibus coniugibus, inprimis in illuſtri loco, graduque conſtitutis, prætulerunt.

Et hoc quidem modo Illuſtriſsima noſtra Princeps effecta fuit vidua: nulli rei, niſi turturi, compare orbato, æquiparanda.

341

randa. Viuo turturem egerat Domino marito, illo iam defuncto turturem pariter agebat; gemebat, mœrori indulgebat, vitam acerbam amiſſo coniuge viuebat. Quamprimùm autem ex hoc luctu tanto nonnihil Illuſtriſsima Vidua ſe recollegiſſet, & eluctata eſſet: nihil nec antiquius, nec prius habuit: quàm fideliſsimæ Matris viduæ munus obire, & numeroſæ ſuæ ſobolis priſtinas educandi rationes continuare. Antea Domini ſui firmiſsimo rebus in omnibus ſuſtentaculo nitebatur; nunc onus omne ſolius in eius humeros inclinauerat.

Onus autem educationis liberorum potiſsimùm intelligo; nam arduum illud Imperij Vvirtembergici gerundi, ad conſtitutos antea ab Illuſtriſsimo Duce CHRISTOPHORO Domus Vvirtembergicæ curatores iam erat deuolutum; ad Illuſtriſsimos Principes ac Dominos, D. VVOLFGANGVM, Palatinum Rheni, &c. D. GEORGIVM FRIDERICVM, Marchionem Brandenburgenſem, &c. & D. CAROLVM, Marchionem Badenſem & Hochburgenſem, &c.

Quanquam ea erat ſapientia, rerumque gerendarum prædita dexteritate, quam à Duce marito tot annis perpetua vitæ conſuetudine, & rerum ab ipſo geſtarum, vſu viderat & obſeruârat: vt, quamdiu valetudine fuit integra, ſummæ rerum ipſa fideliſsimè, prudentiſsimeque præeſſet, & non exiguum Curatoribus Illuſtriſsimis, & Præſidi Ducatus, in rebus adminiſtrandis, præſtaret adiumentum: donec filius, Illuſtriſſimus Princeps LVDOVICVS, ad capeſſenda regni gubernacula maturus & idoneus redderetur. Etenim cùm hic filius eſſet vnicus, ideoque longè dilectiſsimus, & vt ſumma ſpes, ita ſummum D. Matris oblectamentum, eius ampliſsima hæreditas, vt à Curatoribus rectè adminiſtraretur; ſarta tecta conſeruaretur; vt indies magis & magis etiam augeſceret; optima, ſolicitaque Mater in omnes accuratiſsimè rationes elaborabat & aduigilabat.

Cùm etiam ſingularibus prouidentiæ & conſilij cauſis impellentibus longè ſapientiſsimus Princeps, CHRISTOPHORVS, poſt immaturam filij Ducis EBERHARDI mortem, haud longo ante ſuum obitum interuallo, Patruelem ſuum Illuſtriſsimum Principem, Dominum FRIDERICVM, Comitem Vvirtembergicum, & Mümpelgardicum, &c. Stutgardiam euocaſſet; vt, cum vnico ſuo & chariſsimo filio, Duce LVDOVICO, pari religione, paribus ſtudijs, & alijs iſtius ætatis exercitationibus inſtitueretur; & hi Principes adoleſcentes, vt agnati, à primis ferè ætatis temporibus quotidiani conuictus, & ſtudiorum communione familiaritatem contraherent; & mutua quadam animorum connexione, atque fide, tanquam per omnes vitæ dies indiſſolubili, vt neceſsitudinis, ſic amicitiæ & intimæ quaſi fraternę coniunctionis vinculo conſociarentur: ac perpetuò viuerent; ſicut ipſius Celſitudo cum Patruo Comite GEORGIO raro cognationis exemplo coniunctiſsimè vixiſſet: quem etiam ipſius Celſitudo eò, frequenti ſuaſione, tandem adduxit, vt in ætate grandi quoque matrimonium, cum Illuſtriſsima Haſsiæ Landgrauia BARBARA, PHILIPPI, ſummi Herois illius filia, contraxerit; & ad conſeruationem, exædificationemque Illuſtriſsimæ domus Vvirtembergicæ hæredes genitos poſt ſe reliquerit: E quibus Illuſtriſsimum Principem FRIDERICVM (& ipſum nunc diuina benedictione maſcula prole fœcundum) Dei gratia, ſuperſtitem adhuc (vtinam diu iſsimè quidem) habemus.

Hunc, inquam, Stutgardiam in communis vitæ cum Principe LVDOVICO ſocietatem accerſitum, Illuſtriſsima noſtra Princeps vidua, cùm ante Domini ſui, tum poſt obitum, eo ſemper, quo proprium filium, amore proſecuta fuit: vnicè ſemper gauiſa, quod hoc Domini ſui mariti prudentiſsimum inſtitutum feliciſsimè ſucceſsiſſet; & hi Principes agnati fraterna ſe prorſus beneuolentia & amore (in hunc vſque diem perpetuò, diuino fauore, florente) mutuò complecterentur: & præterea virtutum auitarum clariſsimis veſtigijs plenis paſsibus inſiſterent; atque ad omnem egregiam, & Prin-

342

& Principibus dignam vitæ rationem, ad doctrinam, ad ſapientiam, ad pietatem adoleſcerent, & egregios facerent progreſſus: ita vt paucis pòſt annis alter Princeps, FRIDERICVS, ad vberiorem ingenij cultum Tubingam ſe conferret: alter Princeps, LVDOVICVS, Imperij paterni gubernaculo deſtinaretur, & inauguraretur.

Neque verò ſolicitudinem interim de filiabus priſtinam abijciebat: ſed ijs etiam, quæ longiore locorum aberant interuallo, curam maternam faciebat teſtatam.

Cùm enim vnam, vt docuimus, Aſcanienſium elocaſſet Principi; ei domum ipſamet Domina mater illam honorificentiſsimè deduxit. Habebat in Haſsia duas, Illuſtriſsimorum eius loci Principum fratrum vxores. Mater harum amantiſsima, tum quòd vtriuſque viſitandæ deſiderio teneretur, tum quòd altera SABINA partui iam eſſet vicina, huicque gratiſsima, deſideratiſsimaq;, tanquam obſtetrix fideliſsima, præſtare poſſet officia; cupidiſsimam ad has & planè maternam, adeoque poſtremam etiam, & quaſi valedictoriam inſtituit profectionem.

Hinc domum reuerſa tranquillius, quietius, & ab aulæ operoſiſsimæ ſtrepitu remotius, vitæ genus egit.

Quanquam enim nondum eius erat ætatis, quæ langueſcentis & ingraueſcentis ſenectutis cauſa, conuerſationem, colloquia, & hominum illuſtrium conuictum defugiens, ſolitariam ageret vitam: tamen ipſius valetudo plurimis per omnem vitam moleſtijs deuoratis læſa, varijs calamitatum & malorum procellis quaſſata, multis perturbationibus humano generi accidentibus, crebris etiam funeribus Suorum, & ad extremum luctuoſiſsimi Domini Mariti obitus doloribus debilitata; inprimis autem numeroſis illis, difficilibus, & laborioſis partubus exhauſta, maioremque in modum labefactata; alium hæc, inquam, inualetudo vitæ degendæ, ac vale-

tudinis curandæ locum ab aulicis moleſtijs, curis, ac quotidianis interpellationibus vacuum requirebat.

Hac de cauſa Illuſtriſsimis Curatoribus, Conſiliarijs Principalibus, & præcipuè Medicis experientiſsimis ſuadentibus, diſpoſita, compoſitaque ſua œconomia Nürtingam ſeceſsit.

Eſt hoc oppidum & arx Stutgardo non procùl diſtans, ad flumen Neccarum, amœnitate loci, vini, frugumque fertilitate paucis in Ducatu cedens; Principi noſtræ, vnà cum tota præfectura, quam vocant, ab Illuſtriſsimo ſuo quondam Principe Sponſo propter nuptias donata.

In hanc ergo arcem; ſplendidam illam & Principi congruam, in viduitatis ſuæ ſedem, tanquam in portum aliquem quietis & tranquillitatis, ſe contulit, & gratiâ curandæ valetudinis abdidit.

Accidit hoc eo tempore, cùm Illuſtriſsimus Princeps, LVDOVICVS, regno iam erat inauguratus; in ſubleuanda Dominæ Matris ægritudine, ad omnem laborem & ſumtum paratiſsimus. Adhibebantur ab eius Celſitudine Medici principales, & Aulici (Kilmannus, Phrygio; & alij) viri Medicinæ peritiſsimi; ne quid à pijſsimo filio prætermiſſum ſtudij videri poſſet. Conſultârunt hi Viri excellentiſsimi, ſuaque conſilia inter ſe diu multumque contulerunt, & adhibuerunt: ſed fruſtrà omnia. Morbus enim non modò non leuatus & ſublatus, ſed diuturnus fuit, & vehementior etiam factus; atque ſæpiùs ad maximos capitis dolores excreuit, &, præter viduitatis incommoda, Principem noſtram vehementer afflixit. Quæ ſe ſubinde tamen recollegit, potenti manu Dei ſubiecit, & humiliauit: & crucem hanc per interualla recurrentem piè, patienterque tulit; conciones diligenter & lubenter audiuit; ſacræ Scripturæ libros, præcipuè Pſalmos Dauidicos, euoluit; fidem ſuam Cœna Dominica confirmauit; horas precum ſtudio

dio

dio quotidie ſingulari, tãquam Canonicas, obſeruauit; & negocium hoc precationis, Chriſtiano homini planè neceſſarium, ardenti geſtu, ſtans ſemper, & in cœlum ſuſpiciens, obiuit. Atque ſic famulitij, miniſterij, & toti Aulæ cœtui præclarum imitationis exemplum propoſuit. Ille præterea Aulæ ipſius modus, ratio, & conuictus inſtitutus fuit; qui & decebat Principem viduam, piam, frugalem; & huius generis, atque ſtatus ſplendorem, & defuncti Domini Mariti autoritatem non dedecoraret. Domeſticis ipſamet Princeps & Domina ſic exemplo ſuo prælucebat, vt ocioſa nunquam reperiretur: vt operis ſuis, & operibus ipſam Penelopen (cuius artificio vehementer oblectabatur) ſuperaſſe videretur.

Optandum eſſet, & quidem multis votis, ad laborem & omnem virtutem, pari modo matres omnes, omnes filias ſuas adſuefacere.

Iám qua, in hac viduitate, dilectione liberos ſuos, cùm omnes reliquos, tum filium vnicum & chariſsimum, Illuſtriſſimum Principem LVDOVICVM, & eius Celſitudinis coniuges, & defunctam illam laudatiſsimam Principem, DOROTHEAM VRSVLAM, Marchioniſſam Badenſem, &c. beatæ & excellentis memoriæ; & alteram, Dei beneficio, viuentem Illuſtriſsimam, & omni elogio cumulatiſsimam Principem, Dominam VRSVLAM, Palatinam Rheni, &c. Nurus ſuas gratiſsimas complexa ſit, & proſecuta; quibus beneuolentiæ & fauoris argumentis ſe illis Matrem & Socrum benigniſsimam oſtenderit; quoties eam in hac ſua tanquam eremo piè & amanter (quod liberûm, & nuruum piarum, & obſequentium officium eſt, & frequenter ab his factum) viſitarunt; prolixum nimis hîc eſſet commemoratu.

Pius tamen eiuſdem in Eccleſiæ Miniſtros affectus tacitè prætereundus non videtur. Reuerendum & clariſsimum Virum, M. BALTHASARVM BIDEMBACHIVM, Aulæ Vvirtembergenſis Eccleſiaſten, & poſtea Præpoſitum Stutgardia-

gardianum digniſsimum, ſummo, decentiſsimoque fauore proſequens, ſæpiùs ad ſe Nürtingam clementer accerſiuit, & vltrò venire mandauit; vt ei ſua, pio Chriſtianorum more, peccata confiteretur; ab eoque & conſolationem piam, & fidei confirmationem acciperet. Quod & ſæpe factum eſt. Vnde, tempore quodam accidit (anno 72.) vt Præpoſitus hic Stutgardienſis, prædicti officij causâ veniret, & à clementiſsima Principe de ſtatu Affinium (Brentiadarum, Doctoris THEODORICI SNEPFFII, Theologi Tubingenſis, & Doctoris EBERHARDI BIDEMBACHII, Præſulis Bebenhuſani vxorum, ſororum, aliquando Principis noſtræ in Gynæceo Vvirtembergico adminiſtrarum) interrogaretur; cùm hic reſpondiſſet, BARBARAM SNEPFFIAM partus difficultate nuper è viuis ſublatam; ingemiſcens humaniſsima Princeps: Ah, inquit, aliquoties & ego paribus in anguſtijs fui conſtituta: &, niſi me Dominus Deus clementiſsimè liberaſſet, idem optimo meo Domino accidiſſet, bono quod D. SNEPFFIO nunc euenit. Quæ, precor, eſt optimi viri tot inter paruulos expeditio? qui ſtatus? Hæc optima Princeps optimi Viri vidui vicem, pio erga Miniſtros affectu, commiſerata, cum prędicto Domino BIDEMBACHIO humaniſsimè tractauit.

In huius poſtea piè defuncti locum reuerendus & clariſſimus Vir, D. D. LVCAS OSIANDER, Eccleſiaſtes aulicus Vvirtembergicus, è cuius ore eloquentiſsimo, & ſuauiſsimo melle dulcior, & æquore tranquillo planior fluit oratio, ſucceſsit: qui & eadem Principi viduæ pietatis officia præſtitit. Sacramentum altaris adminiſtrauit, è verbo Dei erexit; & ab ea reuerenter auditus, & in magno ſemper habitus honore fuit.

Paſtores Nürtingenſes interim conſequenter pari honoris, reuerentiæ, & officij modo apud eam valuerunt, & erga ſe clementiſsimam noſtram Principem ſunt experti.

Addam

Addam & hoc eiuſdem exemplum argumenti. Solebat Princeps noſtra vidua, viduas illas miſeras, à defunctis Eccleſiæ Miniſtris, cum multis paruulis relictas, ad ſe in aulam, famulandi nomine, recipere: & ipſarum etiam liberos beneficijs afficere, & non indignos ſua liberalitate iuuare.

Sic eandem etiam ſuæ beneficentiæ & liberalitatis largiſsimos fontes aperuiſſe, & in alios quoſcunque pauperes, tanquam in arida prata, libenter promteque deriuaſſe conſtat, & multorum hominum pijs vocibus comprobatur: ita vt hîc quidem laudem in terris ſempiternam, illic autem in cœlis theſauros incorruptibiles comparaſſe non ſit dubitandum.

De qua re ne plura ſubtexam hoc loco, ſuperiùs in eandem ſententiam à me pronunciata ſubmonent. In ciues autem Nürtingenſes, qualis extiterit; in primarios illos, & proceres ſtatim ab aduentus ſui principio non obſcurè declarauit: dum Nobiles, qui tum iſthic cõmorabantur, omnes (IOHANNEM ENTELLVM SPÆTIVM, ANTONIVM A REMCHINGEN, &c.) Officiales Principis, Præfectum oppidi, Miniſtros Eccleſiæ, & Scholæ, totumque Senatum oppidanum conuiuio humaniſsimè accepit, & tractauit; ac in poſterum etiam omnibus & ſingulis prolixè clementiam ſuam obtulit; vt quæ ibi, chariſsimæ ſuæ Socrus exemplo, Illuſtriſsimæ quondam Principis SABINÆ, &c. quæ ibidem mortua eſt, & apud omnes, pauperes inprimis, æternam ſui memoriam depoſuit; vitam ſuam finire deſideraret.

Neque etiam inde poſtea diſceſsit: quamuis multæ ſæpè ac propè neceſſariæ; frequentibus Liberûm ſuorum matrimonijs & nuptijs celebratis, occaſiones darentur.

Maluit optima Princeps noſtra vidua filias ſuas, præſtantiſsimas virgines, præclariſsimè educare, atque filio ſuo, Illuſtriſsimo Principi LVDOVICO (tanquam non iam fratri,

ſed Patri benigniſsimo; quem etiam ſe reipſa in maritandis & dotandis Sororibus, omnium teſtimonio, luculentiſsimè Celſitudo eius clementiſsima præbuit: ita vt quoque Illuſtriſsima Mater ante obitum omnes, etiam viduas, iterum coniuges factas eſſe cognouerit) elocandas, & nuptias apparatu Principibus digno celebrandas committere, quàm illis intereſſe: partim impedita valetudine; partim aulicæ pompæ, magnificentiæ, & ſplendoris pertæſa: quibus omnibus, vt neque delectata fuerat, neque nauarat operam: ſic illis nunc quietæ & tranquillæ viduitatis ſuæ Nürtingenſem portum anteponebat; vnde quoque nunquam enauigaſſet; niſi ſæuiter aliquando graſſantis & fluctuantis tempeſtate peſtis expulſa, Kirchemium, vicinum Ducatus oppidum: ex hoc Göppingam, acidis aquis celebratiſsimam, commigraſſet. Hic etſi tempus ſatis longum eſſet commorata; Nürtingam tamen ad exoptatum illud ſuæ viduitatis domicilium reuerſa eſt: ibique tanquam turtur triſtis, orbatus compare ſuo, vitam ijs, quibus dictum eſt antea, ſtudijs, pijs, Principemque decentibus egit: & vt antea educatione filiarum, ſic nunc pietatis exercitijs, lanificio, & textis artificioſiſsimis viduitatem ſuam ſolata eſt: donec optatæ, beatæque tempus reſolutionis, diſceſſus ex hoc mundo, & vitæ huius caducæ finis aduenit; quem vbi breuiter, ſiquidem breuis & felix fuit, percenſuero; finem mox inde dicendi faciam. Multa quidem adhuc eſſent relatu non indigna: ſed tempus, iniuncta breuitas, & patientia veſtra cùm, vt receptui canam, à me flagitent, ad poſtremam orationis partem me conuerto.

Tempore iam, ante mortem Principis noſtræ, longo ſatis, afflictioris ferè ſemper valetudinis erat; neque etiam mirandum eſt, hac in Principe, multis laboribus, partubus, luctibus exhauſta; & quidem in ſenectute, quæ vel ipſa morbus eſt, accidere: menſtruam vltra ſpacium cibo vtebatur parciſſimo; nulla tamen in illa ſigna grauioris morbi, nedum mortis appropinquantis deprehendebantur.

Nihilominus Illuſtriſsimus Princeps, Dominus LVDOVICVS, filius pijſsimus, & de chariſsima Matre, quàm maximè ſolicitus, geminas ad nuptias (ſecundas ſororis ELEONORÆ, Anhaldinæ viduæ, Illuſtriſsimo Principi, Domino GEORGIO LANDGRAVIO Haſsiæ, nupturæ) Darmſtadium; & inde ad alias nuptias (Neptis ex Sorore, filiæ Illuſtriſsimi Principis, Domini VVILHELMI LANDGRAVII Haſſiæ, &c. VVILHELMO Comiti Naſſouienſi, &c. nupturæ) Caſſellas profecturus; (quanquam id quidem inuitus faciebat, ac niſi ſummum illud fraternæ neceſsitudinis vinculum poſtulaſſet, hoc rerum ſtatu domi ſe continere maluiſſet) de matris valetudine, triſte quid, præſago quaſi animo præuidens, in mandatis dabat, locum interea ſuum tenentibus, præſertim Medicis ſuis aulicis, domi relictis; Principi Matri darent operam; officium facerent; & nihil deeſſe paterentur; ſi quid ei, Deo ſic gubernante, humanitùs vel ad morbum, vel ad mortem accideret. Et ſanè mutationem imminentem aliquam, illa præter modum abſtinentia cibi, perpetua rerum diuinarum tractatio, & alia plura, ſignificare videbantur.

Paucíſsimis ante mortem diebus, mane quodam, ad fidam dilectamq; ſibi miniſtram, ANNAM STICKELIAM, & aliquot famularum præcipuas, rebus diuinis de more peractis, ecce, inquit, ſomnium hac nocte vidi longè iucundiſsimum, enarratu digniſsimum. Dilectiſsimus meus Dominus mihi videbatur apparere, meque ſuauiter amplexus accepta manu mea in hortos amœniſsimos, in locum omnibus ſummis voluptatibus refertiſsimum ducere, circumducereque. Tum ego: Ah Domine mi dulciſsime, tantæ voluptatis & amœnitatis hortos ego vidi nunquam; proh quàm iucundi? quàm delicioſi? Hîc eſſe, bonum eſt, Domine: Nunquam ego hinc educi me patiar. Hæc iucundiſsima commemoratione recenſuit; & Cygnæam quaſi cantionem cecinit; per reliquũ, quod exiguum erat, vitæ tempus, horum ſubinde hortorum iucundè recordata. Vulgò dici ſolet: Quibus quis interdiu rebus occupetur, eaſdem in ſomnis noctu cernere. Principem

 ergo

ergo noſtram viduam, & piæ recordationi Domini Mariti ſui, vt toto viduitatis tempore, ſic etiam inſtante iam morte & cœleſtis paradiſi cogitationi indulſiſſe, vel ſomnium hoc innuere videtur. Vt quæ Domini ſui Mariti, vel ante viginti annos mortui, memoriam non depoſuerit; ſed, propediem etiam moritura, tam recentem habuerit;atq; ſi cum ipſo (quod olim ſæpè factum) in voluptatis hortis, in paradiſo Stutgardiano, manu ipſius ducta, ſuauiter inambularet. Interim etiã hoc modo quaſi per vmbram aliquam viua corpore adhuc intuita eſt, & guſtum aliquem veri paradiſi & cœleſtium delibauit gaudiorum.

Somnium quidem certè fuit; ſed qualia ſanctis olim hominibus, martyribus, viris,& fœminis accidere ſolita teſtantur hiſtoriæ. Somnium quidem fuit; ſed ab inſecutura breui poſt re non alienum; beatiſsimi nimirum noſtræ Principis obitus, & in cœleſtem paradiſum futuræ receptionis, & inductionis per CHRISTOPHORVM Maritũ, id eſt, per Chriſtum verum eius Sponſum præſignificatio quædam, prænuncium quoddam quaſi præludium: quod ſtatim inde feria ſecunda Pentecoſtes hoc euentu fuit confirmatum.

Matutino admodum, quod precibus & rebus diuinis faciendis aptiſsimum eſt, tempore, cùm pijſsima Princeps vidua, perpetua ſua ferè totius vitæ ſuæ conſuetudine obſeruata, preces ſuas, quas ad Deum ſtando facere conſueuerat, abſoluiſſet; Pſalmos aliquot, quorum lectione,& prælectione, veriſsima viduitatis, & omnis miſeriæ recreatione, ſemper vſa fuerat; partim legendo, partim canendo ſubiunxiſſet; atque ita iucundiſsimo Dei quaſi colloquio confirmata, recreataq; fuiſſet; & eidem ſe totam tanquam iam iam moritura commendaſſet; ecce debilior fit præter ſuam, & omnium exſpectationem: humores ei è capite defluebant, neruos laxabant, ſenſum & motum eripiebant. Tum illa clara ſatis adhuc voce: Deus, Deus meus, ne derelinquas me: quid mecum agitur? quid hocce rerum eſt? Hæc vltima Principis noſtræ verba fuerunt.

runt. Sic enim lingua deinceps impedita fuit, & detenta; vt verbum ampliùs proloqueretur nullum. Hoc audito, viſóque; confeſtim eius adminiſtræ, quæ tum aderant, accurrere, nutantem Heram ſuam, & labaſcentem manibus excipere; brachijs aliquantiſper ſuſtentare; verbis humaniſsimis affari; dictis & ſententijs ſacris conſolari; ac cùm res nihilo fieret mèlior, in ſellam, quæ vicina ſtabat, leniter deponere; quin etiam pharmaca generis omnis reficientia, & vires proſtratas reparantia, odoramenta exhibere, & admouere. Hic è veſtigio tum Aulici conuocari; Medicos qui accerſant, amandari; Paſtor Nürtingenſis acciri; qui cùm aduolaſſet, & è re præſenti facilè coniecturam mortis aduentantis capiens, ſtando Principem moribundam conſolari vellet; pijſsima Princeps, etiam in agone, ſuæ erga Dei Miniſtrum obſeruantiæ documẽtum ſtatuebat: tamdiu ſiquidem ei capitis nutu dextrorſum inclinato quaſi loquebatur, & ſedendi locum ſignis demonſtrabat; donec is tandem ſignificationem intelligens, ſeſſum iuit.

Cùm hoc eſſet nutu conſecuta; attentè, placidè, nullo corporis motu conſolantem Dei Miniſtrum, & aliquot Scripturæ ſacræ loca dilucidantem, propoſitoque caſui accommodantem audiebat: cùm etiam ab hoc interrogaretur, num, ſibi quæ dicerentur, intelligeret; &, an in agnitione vera peccatorum, vera fide in Chriſtum Seruatorem, adeoque ea de Deo doctrina, & confeſsione, quam à parentibus hauſiſſet, à Domino Marito, & eius Miniſtris confirmatam habuiſſet, ac per vitæ dies hactenus ſemper profeſſa fuiſſet; multotiesque Cœnæ Dominicæ ſumtione confirmaſſet; conſtanter ad extremum vſque Spiritum, ſine dubitatione, perſeuerare cogitaret; ſigno corporis id aliquo demonſtraret; & circumſtantijs faceret teſtatum. Tum illa ſine mora, cum oculis ad cœlum leuatis, dexteram quoque fortiter ſublatam tam diù continuit, donec paulatim illa quaſi ſponte ſua ſubſideret. O immenſa Dei Principem in hanc miſericordia: qui, quam pro æterno ſuo & imperſcrutabili conſilio voci per morbum

ademerat loquendi facultatem, eam oculis, & manibus tribuiſſe videbatur; ne quis vnà ſtatim cum corporis amiſſo motu, vim omnem animi concidiſſe putaret; aut emorientis huius in fide conſtantiam, aut ſalutem eius æternam in vllum vocare poſſet dubium. Exin tranquilliſsimo motu, quaſi lenem ſomnum captura quieſcebat; nullum ne minimum quidem impatientiæ ſignum oſtendebat; oculos ſemper vel ad cœlos, in quos feruente corde gemitibusque continuis adſpirabat; vel in Dei Miniſtrum, voce, conſolatione, precibus præeuntem, vel in Medicos, qui vento quidem citius aduolârant, ſed propter morbi rationes grauiſsimas nihil medicari poterant; vel in circumſtantes, qui caſum hunc intimè dolendo miſerabantur, intendebat: donec tandem inſequenti manè, non dico, moreretur, verùm animam illuſtriſsimam cunctis circumſtantibus, & ardentes ad Deum preces effundentibus, non alio geſtu Deo Creatori ſuo à corpore liberatam redderet; quàm ſi in leniſsimum, molliſsimum, & propemodum inſenſibilem ſomnum dilaberetur; & oculos media parte recepto ſopore ſua ſponte occultaret; ac ſic exſpiraret, vt aut nulli dolores, aut perexigui abitum hunc comitari viderentur.

Accidit autem hoc vigeſimo die Maij, hora ſexta matutina, Nürtingæ; cùm vixiſſet annos ſexaginta & vnum; menſes quatuor; dies viginti tres; eum aſſecuta vitæ terminum, quem maxima pars hominum non attingunt.

Sic igitur, vt nuda recitatione perſtrinxi, Illuſtriſsimorum & pijſsimorum Principum Parentum filia generoſiſsima, ANNA MARIA, Illuſtriſsimi & pijſsimi Principis vxor optima, Illuſtriſsimorum & pijſsimorum Principum liberorum duodecim Mater fideliſsima, plurimorum Illuſtriſsimorum Principum Socrus gratiſsima, plurimorum Illuſtriſsimorum Nepotum AVIA dulciſsima, non modò Domini Mariti ſui, ſed vtriuſque familiæ & Brandenburgicæ, & VVirtembergicæ ornamentum, & CORONA, Princeps pietate, fide, caſtitate, modeſtia, miſericordia, benignitate, & omnium virtutum maxi-

maximarum laudibus ſplendidiſsima, vidua clariſsima, ſic, inquam, vitam hanc mortalem accepit; & per ſanctum Baptiſma Eccleſiæ Chriſtianæ fuit inſerta: ſic in terris piè, variæ ſubiecta tribulationi, egit; ſic ad finem, in ipſo precationis opere, perduxit; ſic per crucem & mortem (quæ pijs omnia in bonum operari coguntur, & ad ſalutem æternam ianua ſunt) ex ergaſtulo corporis anima diſceſsit; ſic in cœleſtem paradiſum emigrauit, & per angelos translata eſt.

21 O verè nunc Illuſtriſsima beatiſsimaque anima; hoc illud ſomnium erat longè iucundiſsimum; hi illi horti omnigena ſuauitate refertiſsimi. Euge, anima glorioſiſsima, nunc in illis veriſsimis, amœniſsimis, florentiſsimis cœlorum hortis, ipſo paradiſo, à Domino tuo CHRISTOPHORO, vero illo Chriſto, ſempiterno tuo Sponſo, in omnium gaudiorum affluentia circumduceris. Nunc ille viuenti tibi dat de ligno, quod eſt in paradiſo, ſicut Apocalypſis ait. Nunc iterum illis, à quibus in terris ſumma cum acerbitate fuiſti per mortem auulſa, ſumma cum dulcedine, per tandem, conſociata es; Patri GEORGIO, Matri HEDVVIGI, Sorori ANNÆ, coniugi CHRISTOPHORO, filijs EBERHARDO, MAXIMILIANO, VDALRICO, alijſque plurimis animis è cognatione tua beatiſsimis, his, inquam, conſociata es.

Tibi ergo, tibi, ô Anima Illuſtriſsima, vincenti, glorioſiſsimam illam de mundo, de peccato, de morte victoriam & triumphum gratulamur. Neque verò corporis tui ſtatum dolemus. Etenim ingenti honore ad D. Maritum ſuum, ad Liberos, ad Socrum, ad Nurum congregatum eſt; & inſtar grani corrumpitur, ac putreſcit; vt cum gloria in magno die reuireſcat ad reſurrectionem lætiſsimam. Hanc tibi, ô anima beatiſsima, & corpori tuo glorificato ardenter exoptamus; & nos tecum cum vniuerſa beatorum hominum Eccleſia ſuo tempore conſociari, deſideramus, precamur, efflagitamus.

At at in quem tantum excurſum, in quem gaudiorum campum abripior? num Oratio funebris tam lætum habebit exitum? an in glorioſum deſinet triumphum? Accidit mihi proh dolor, quod ægrotantibus interdum euenire conſueuit: qui, dum morbo liberari videntur, & exultant; in eundem recidiuum & integratum ſæpè relabuntur. Sic ego, qui è luctu iam mihi tantum non eluctatus oratione mea finita videbar: iam, proh dolor, in recidiuum quaſi luctum, rebus ita poſcentibus, & Deo ſic volente, cogor relabi; & quantum beatiſsimæ noſtræ Principi, cœlo receptæ, paulò antè ſum de omnibus malis ſuperatis, & glorioſiſsimo eius, in quo nunc eſt ſtatu, congauiſus: tantùm mihi nunc ſenſum cogitandi meum explicanti, cum eiuſdem defunctæ ſuperſtitibus Liberis ac Generis, ampliſsimiſque familijs, totaque Domo Vvirtembergica, inprimis autem (vt à cuius luctu noſtra exorſa eſt oratio, in eodem etiam terminetur) cum Illuſtriſsimo Principe, Domino noſtro clementiſsimo LVDOVICO dolendum eſt, lugendum, & indulgendum etiam commiſerationi; cuius Illuſtriſsima Celſitudo ſi tot, à quinque ferè luſtris, in patria familia, funeribus ducendis, luctibus obeundis, & iuſtis perſoluendis iam conficeretur, (quod Deus clementer auertat) omni careret admiratione.

Vt enim alia plurima in tanta rerum gerendarum diuerſitate, ac cumulo, taceam incommoda, quæ ſingulis hûc vſque temporibus Princeps optimus exantlauit; quantopere tenellus eius animus triſtiſsimo funere, quod eum anno 64. comitari vidimus, dulciſsimæ AVIÆ SABINÆ, Principis Illuſtriſſimæ, Illuſtriſsima & regia è familia Bauarica natæ, fortiſsimi & excellentiſsimi Ducis VDALRICI quondam coniugis, fuit commotus?

Quantum, anno ſexageſimo octauo, præmaturo & inopinato fratris, quem vnicum & ad omnem aliquando iniquæ fortunæ vim propulſandam certiſsimum habebat præſidium, prӕſtantiſsimi Principis EBERHARDI obitu, etiam tunc adhuc eius animus tenerior, ictum ſuſtinuit?

Quan-

Quantum autem eodem ſtatim anno, nondum integrè completo, dilectiſsimi Patris CHRISTOPHORI, diuini planè illius Principis, luctuoſiſsima morte vulnus accepit?

Haud multis interiectis annis (anno 75.) non leui procella lethi triſtiſsimi Agnatæ ſuæ chariſsimæ, EVÆ CHRISTINÆ, Vvirtembergomompelgardicæ Principis, virginis præſtantiſsimæ fuit, concuſſus.

Ex Haſsia poſtea nimbus ingruit, & ille ſatis quidem impetuoſus; cùm anno 82. non ſine maximo mœrore Sorore amantiſsima SABINA, inclyta Principe, Illuſtriſsimi Principis, Domini VVILHELMI, Haſsiæ LANDGRAVII Coniuge deſideratiſsima fuit, orbatus.

Excepit hunc ſubitò, ſtatim anno ſequenti, tempeſtas alia horribiliſsima, qua Princeps optimus ingentem calamitatem paſſus, & longè ſuauiſsimæ ſuæ Coniugis, DOROTHEÆ VRSVLÆ, Marchioniſſæ Badenſis, laudatiſsimæ Principis, longè acerbiſsimo interitu, quaſi quodam fulmine de cœlo tactus & attonitus fuit.

Si quid habet triſtitiæ, ſicut certè plurimum habet, amittere chariſsimos Affines, quos Patrum colendiſsimorum habueris loco; ſi quid adfert calamitatis, Sorores fieri viduas; Illuſtriſsimus & optimus noſter Princeps eadem eſt expertus.

Nondum finitò coniugalis tempore luctus, Illuſtriſsimus Princeps, GEORGIVS ERNESTVS, Comes Hennebergicus, ſuæ ſtirpis vltimus, Affinis, & tanquam Illuſtriſsimi noſtri Ducis Pater, ex hoc mundo diſcedit: viduamque relinquit Principi noſtro Sororem, & dolorem inſtaurat.

Non ita longum ab hoc luctu temporis interuenerat ſpacium, cùm etiam alius Affinis, & Fratris vice habitus, moritur, Illuſtriſsimus Princeps IOACHIMVS ERNESTVS,

Princeps Anhaldinus, & Illuſtriſsimi Principis noſtri, Domini FRIDERICI, Comitis Vvirtembergo Mompelgardici, &c. colendiſsimus Socer.

Ecce verò, nunquid in hac familia, & noſtro Principe optimo, luctum luctus, vt in flumine, ventis agitato, fluctum fluctus impellit? Sed quid prçteritis immoror tempeſtatibus, ordine quodam obortis? cùm, vt in mari, cœlo paulò antè ſereno, ſurgentibus aliquot vnà tempeſtatibus, inter ſe venti quaſi præliari videntur: ſic hoc tempore, magna ſerenitate rerum, geminarum nuptiarum, ſubitò luctus aliquot, & quidem haud vulgares, ſimul, tanquam venti, in hac familia coorti, Principem noſtrum inuadunt, & ſubmergere conantur.

Nam cùm in Darmſtadianis nuptijs, de quibus antè meminimus, magna congratulationis, & lætitiæ communis ſerenitate frueretur; & ad Caſſellanas quoque iam, præmiſſo nuptiali ſuo apparatu, cogitaret: Ecce vno eodemque tempore, diuerſis in partibus exurgunt venti, Darmſtadijque concurrunt: Inter quos tanquam Auſter furens ventus, horribilis, lethalis, & pluuioſus, inuſitata exundatione aquarum præmiſſa, è Vvirtembergæ medio; magno vlulatu ingruens, Illuſtriſsimam Principem ANNAM MARIAM, Ducem Vvirtembergicam, Illuſtriſsimi Ducis LVDOVICI Matrem, è viuis ſublatam eſſe, inſuſurrat; omnia perturbat; nuptias abrumpit; & ad luctum ſuos vocat.

Illuſtriſsimus Princeps LVDOVICVS, filius pijſsimus & obſequentiſsimus, audito Principis Matris obitu, dici à me non poteſt, quanta perturbatione fuerit affectus; quantum gemituum & ſuſpiriorum duxerit. Sine mora, præmiſſum ad Haſsiacas nuptias, apparatum reuocat; nuptiale gaudium abrumbit; & in luctum omnia conuertit: domum redit mœſtiſsimus: ſepulturam & iuſta pientiſsimæ Matri inſtituit: Sic, vt ſeptimo die Iunij, funus, Nürtinga conuenienti ritu exportandum, ſermone lugubri M. ALEXANDRI VVOLFFHARDI, eius vrbis Parochi cohoneſtaretur: Bebenhuſium deductum,

deductum, ſequenti die, pariter concione funebri grauiſsima, D. D. EBERHARDI BIDEMBACHII, eius loci Præſulis digniſs. exornaretur. Nono eiuſdem menſis inde pijſsimè honorificentiſsimeq́;, ſine magna tamen pompa, more Maiorum, Tubingæ, exequias ipſe Princeps celebrat: aduectum ſolenniter funus, Nobiliumq́ue humeris impoſitum, cum multa vtriuſque ſexus Illuſtriſsima, generoſaq́; Nobilitate, Conſiliarijs ampliſsimis, & toto Aulico comitatu, & omnibus oppidi Tubingēſis Ordinibus, habitu pullato, luctum ſuum meritum atteſtantibus, proſequitur; Maiorum inferri monumentis, in templo primario contuetur; concioni excellentiſsimæ, laudationique funebri digniſsimæ per Aulicum Concionatorem primarium D.D. LVCAM OSIANDRVM, præclariſsimè habitæ dolenter intereſt: condolentem Academiam, & luctum ſuum, per os digniſsimi Domini Cancellarij ſui D. IACOBI ANDREÆ, conteſtantem, præſentibus & aſtantibus magnis Conſiliarijs, Nobilibus, & Magnificis Viris, Domino ERASMO A LAYMINGEN, Magno Curiæ Magiſtro, Domino MELCHIORE IÆGERO A GÆRTRINGEN, & Domino MARTINO AICHMANNO Cancellario, &c. clementer audit; &, per Cancellarij ſui reſponſionem, benignè accipit, & clementer interpretatur: prandio deinde, funebri conſuetudine, Academiam, cum oppidano Senatu, excipit. Sed ea, quid ego commemoro hîc vobis, quæ vidiſtis ipſi, & quorum pars magna fuiſtis? qui veri doloris ſenſu fuiſtis affecti? cum Patrono noſtro benigniſsimo, cum Patre patriæ clementiſsimo piè meritoq́ue luxiſtis?

His peractis, & epulo vix dum finito, confeſtim ſe, cœlo ſatis iniquo, Stutgardiam recipit, & quæ rerum humanarum vices, quæ carnis vniuerſæ via ſit, piè ſerioq́ue lugens Princeps perpendit. Inprimis autem hoc altè quaſi ſecum ruminat, gaudium triſtitiam non ſecus, ac corpus vmbram comitari. Hoc ſe iam, cùm aliâs ſæpè, tum inſignibus duobus caſibus dolenter expertum: quando in nuptijs Sororis SOPHIÆ, Ducis Saxoniæ, dilectiſsimam ſuam Coniugem DORO-

THEAM VRSVLAM Noribergæ; nunc in nuptijs ſecundis Sororis ELEONORÆ LANDGRAVIÆ, chariſsimam Matrem amiſerit; Deum in ſuis viſitandis mirandis vti conſilijs, & æquo animo ferendis.

Dum in hac meditatione pia verſatur, & ei memoria atque imago dulciſsimæ quondam Coniugis DOROTHEÆ VRSVLÆ, tum etiam recens obitus, adeoque venerandæ Matris facies, & calamitoſa orbitas oculis obuerſatur; Ecce, ô rem inauditam, IOBINVS planè nuncius, à Vogeſo, Simmeranus aduolat; qui optimi Principis aures triſtium rerum auditione iam defatigatas, animumque mœrore langueſcentem, triſtiſsimæ rei ſignificatione rurſus vulnerat, onerat, lædit, & deijcit; dum ſuauiſsimam Sororem eius ÆMILIAM, Illuſtriſsimi Principis ac Domini, D. RICHARDI, Comitis Palatini Rheni, ac Bauariæ Ducis, &c. Coniugem dilectiſsimam, exoptatiſsimamq́; , Principem inclytam, ex hac vita mortali, paucos ante dies, cum ingenti omnium ſubditorum, incredibili verò Domini Mariti ſui luctu euocatam commemorat.

O dolor, ô luctus, ô res humanæ fluxæ, fragiles, momentaneæ: ô verè triſtis nuncius, cùm in Domo Vvirtembergica, tam illuſtri ſuæ familiæ membro rurſum ſpoliata: tum in toto Palatinatu Simmerano, tam excellenti Domina ſic priuato.

Dicitur, & credibile eſt, Principem RICHARDVM, non tantùm omnibus optimo Principe digniſsimis virtutibus, ſed etiam honorabili canicie verè Illuſtriſsimum, doloribus & aſsiduis gemitibus propè contabeſcere, ac queri; ſe ſenij ſui & ingraueſcentis ætatis ſuſtentaculum, & ſolamen vnicum amiſiſſe; hac erepta ſibi Coniuge, quæ prolis, & poſteritatis ſpem ſibi nuper adeo fecerit; quam moribus ſuis per omnia conuenientiſsimam; quam vitæ ſuæ ſenilis degendæ quaſi validum adminiculum, condimentum iucundum, & ſingulare ornamentum habuerit; vitam ſibi nunc eſſe tædio; diſſolui cupere atque mori.

Simili-

Similiter ſubditos Principe Domina ſe priuatos illa queri; quæ totius ditionis quaſi quædam CORONA fuerit; veræ religionis pia cultrix, & præſidium; ipſa tanquam Dice; quæ in altera lance bonum & æquum, in altera, ſummam humanitatem, clementiam erga omnes, raram in pauperes miſericordiam & affectum geſtauerit, & exercuerit.

Hæc, & ſimilia Principis huius præclariſsimæ decora maxima plurimaque, quia ſint per mortem hanc nondum maturam ſublata; ipſum inclytum eius Dominum Maritum, maiorem in modum affligi; ſubditos affici vehementer; & neminem non in commiſerationem adduci, quis neget? Ipſe certè Princeps noſter LVDOVICVS, & quia defuncta hæc Soror ipſius Celſitudinis fuit, & quia tam boni Principis Coniunx, ita vehementer fuit hoc nuntio motus; vt ad materni luctus exquiſitos dolores maximam fieri acceſsionem ſentiret.

Hoc eſt illud Alanum ominoſum incendium (ſi quis ominibus locus eſt) quod in itinere nuper, ſub noctem, in diuerſorio exortum & reſtinctum, hoſpitantem ibi Principem noſtrum Illuſtriſsimum, cum Coniuge chariſsima, tandem expulit: nimirum tergeminæ huius quaſi portentum mortis; quæ Principem noſtrum lætitiæ domo expulſum, in aliud triplicis luctus compulit diuerſorium: in quod tamen, cùm, ſecundùm Scripturam, melius ſit ire, quàm in domum gaudij; Princeps patientiſsimus, hîc moderationis ſuæ ſpecimen dandum eſſe, neque animum nimio, gentilique mœrore, ſine ſpe, conficiendum, exiſtimauit.

Nunc demùm IOBINA ſibi opus eſſe vidit patientia; cùm Dominus, quæ in his terris chariſsima dedit, eadem, pro diuina ſua voluntate, rurſus auferat. Magni profectò pectoris eſt, & fortis animi; tot propè continentia funera Suorum, tam breui annorum ſpacio, in florentiſsima domo, nata videre, ducere, exequi; neque luctus quaſi continenter orti magnitudini ſuccumbere; ſed fortiter reſiſtere; in Deo ſperare; ac

imperſcrutabili diuinæque eius voluntati ſuam obedienter & humiliter ſubmittere, conformareque voluntatem.

Quamobrem, Auditores inclyti, clariſſimi, ornatiſſimi, beneuolentiſſimique, ne verbis tantùm & habitu grauiſſimis in his caſibus lugere videamur; adiuuemus hanc Illuſtriſſimi patientiſſimique noſtri Principis voluntatem ac dolorem ingentem, quem ipſius Excelſitas, & ex antecedentibus & recentibus his Matris & Sororis funeribus hauſit, & animo nunc acerbiſſimè vulnerato patitur: precibus noſtris, quandoquidem alia remedia non ſuppetant, non modò nunc, ſed deinceps quoque ſemper ardenter ſerioque lenire, ſubleuareque ſtudeamus.

Quare omnipotentem & ſempiternum Deum, Patrem Domini noſtri Seruatoris Ieſu Chriſti inuoco, & ardenter vota facio: vt Illuſtriſſimo noſtro Principi, & eius Illuſtriſſimæ pariter Coniugi, vnâ cum tota Domo VVirtembergica, ex his luctibus eluctatis & recreatis ſalutem omnem tribuat; veræ fidei profeſſionem, & Euangelicæ doctrinæ puritatem ſartam tectamque tueatur; animorum piam tranquillitatem, corporum viuidam incolumitatem, vitæ ſuauis longæuitatem, ſeminis optatam fœcunditatem, familiæ floridam, & natiuam conſeruationem, propagationem, filios filiorum, Imperij & Ducatus felicem gubernationem, omnium tempeſtatum impendentium clementem auerſionem, concordiam, pacemq; auream, ac tandem, hac benè placideque depoſita mortalitate, vitam beatam & ſempiternam (vt & nobis omnibus & ſingulis) clementiſſimè largiatur. AMEN.

IN EANDEM ILluſtriſsimam Dominam.

Τύμβος ὅδε κρύπτει περιβλέπτου σῶμα γυναικός,
Βρανδεμπυργογενοῦς θεοπειθέος ἈΝΝΑ ΜΑΡΊΑΣ:
ΧΡΙΣΤΟΦΌΡΟΥ γαμετῆς Βιρτεμπεργῷος ἄνακτος:
Λαμπροτάτου Δουκὸς ΛΟΔΟΒΊΚΟΥ μητέρος ἐσθλῆς.

Hoc contecta iacet prælustris fœmina ſaxo,
Brandenburgiacæ ſtirpis flos, ANNA MARIA.
Ex qua, CHRISTOPHOROq́; pio Duce, Dux LVDOVICVS
Vvirtembergiacus diuino eſt munere natus.

MARTINVS CRVSIVS.

FINIS.

[library stamp]